BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
148
F
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

101
7
3

Digitized by Google

ARISTOTELIS STAGIRITÆ
VITAM
A LAERTIO DIOGENE ELUCUBRATAM,

NUNC IN TRES DISTRIBUTAM PARTES

CRITICIS EXPONIT COMMENTARIIS

Joseph Prisco

MEDICUS A CUBICULO

PHILIPPI V. HISPAN. MONARCHÆ;

ET EJUS INFANTIS

CAROLI SICILIÆ UTRIUSQ. REGIS.

Philoſophi hujus Genus, Vitam, Mores, & Interitum, aliaque ſcitu digniſſima ad rem iſtam ſpectantia, contra Veteris Lycei ſententiam, continens.

NAPOLI

NEAPOLI MDCCXXXVIII.
Ex Typographia Joſephi Guarracino.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

D. JANUARIUS ROSSUS LECTORI.

MOX videbis, Lector, adverſus non probandam Chriſtiano homini Ariſtotelis vitam, ac deteſtanda quædam dogmata ejus, Commentariorum Auctorem viriliter inſurrexiſſe. Idque propterea factum ſcias, ne ſtudioſa fortaſſe inerudita juventus, laudibus a primis vel paganis, vel non orthodoxis Lycei filiis perſonæ Philoſophi hujus perperam inditis capta, facile, & ſine delectu probi falſo crediti viri dogmata amplectatur pro veris, non ſine diſcrimine propriæ ſalutis æternæ. Idem hoc ſtudium vel quam maxime cordi fuit Divo Ignatio Loyola, & cujus conſilii ſalutaris verba, tertio hujus operis Paragrapho leges. Cæterum nequaquam Auctori animus eſt vel quid minimum noſtris Scholis, ſcholaſticiſque detrahere, quamvis & ipſi nominari Peripatetici patiantur. In antiquioribus porro Lycei ſectatorum, ut ita dicam, conventibus, ubi execrandi Averroes, Alexander, aliique hujus generis alii Stagiritæ expoſitores colebantur, nihil aliud quam Mundi æternitas; Animæ humanæ mortalitas; Dei improvidentia, ſexcentaq; hujus farinæ alia Ariſtotelico perſonabant ore. In recentioribus vero Catholicorum Scholis, in quibus ſanctitate, doctrinaq; præcellentium virorum pia in Ariſtotelem commentaria, & interpretamenta vigent, mille modis, totidemq; inexpugnabilibus rationibus deliramenta illa refutantur, penituſq; convelluntur. Tunc diſputandi artificium in captiunculis, ſophiſmatiſque locabatur; nunc vero noſtri Scholaſtici firma quadam ſyllogiſtica diſceptandi methodo utuntur, atque ei aſſueſcunt, ut malas hæreticorum artes cognoſcant, caveant, rejiciant. Adverſus igitur iſtam orthodoxam Peripateticam nihil penitus pronuntiatur, quum in ea Ariſtoteles veritati potius mancipium ſeſe præbere videatur: verum contra antiquiorem illam habuit tantum dicere, in qua idem ipſe Stagirita Imperator effectus, mendacii aſſidebat magiſter, & architectus. Iſto utere Monitu, ut tempora, perſonaſque, de quibus Auctor verba facere inſtituit facile poſſis cognoſcere. Animadverte tandem, quod in hujus libri calce INDEX ſit adjectus, quo explicantur Auctorum loci in ora exteriore ejuſdem Arabicis numeris ſignati. ἔρρωσο.

ERRATA CORRIGE.

*In ora exteriore, pag.*8. *verſ.* 17. *deeſt numerus Arabicus* 21.
*In ora exteriore, pag.*128. *verſ.* 20. *deeſt numerus Arabicus* 55.

*Pag.*8. *verſ.*20. ſcholæ.	ſcholæ?
*Pag.*12 *verſ.*11. reſponſio.	reſponſo.
*Pag.*41. *verſ.*27. judiii Athce-nienſium.	judicii Athenienſium.
*Pag.*50. *verſ.*9. exordium.	exodium.
*Pag.*51. *verſ.*19. Mnaphon.	Mnaſon.
*Pag.*91. *verſ.*3. divini.	& divini.
*Pag.*115. *verſ.*31. amænitatem.	amœnitatem.
*Pag.*117. *verſ.*21. cæperunt.	cœperunt.
*Pag.*144. *verſ.*1. adoptione	adoptionem.
Pap. 164. *verſ.* 28. ſceleſtiora ideoque dogmata addidit; quoque apud.	ſceleſtiora quoque dogmata addidit; ideoque apud.
*Pag.*176. *verſ.*21. & ornata	& non ornata.
*Pag.*196. *verſ.* 6. vocabulum, in *Deo.*	vocabulum ſecundo loco, in *Deo.*
*Ibid. verſ.*7. foret legendum.	foret ibi quoque legendum.
*Pag.*205. *verſ.*10. valeret.	valere.

Leviora errata Lector facile animadvertes.

S.R.M.

S. R. M.

GIuſeppe Guarracino, Stampatore in queſta Fedeliſſima Città ſupplicando eſpone alla V. R. M. come deſidera ſtampare un Libro intitolato: *Ariſtotelis Stagiritæ Vitam a Laertio Diogene elucubratam, nunc in tres diſtributam partes criticis exponit Commentariis Joſeph Priſco*; Per tanto ſupplica la V. R. M. ordinarne la reviſione a chi le parerà, e lo riceverà quam Deus &c.

D. Jacobus Martorellus in Univerſitate Regj Studj profeſſor videat, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 15. *Menſis Auguſti* 1738.

Nicolaus de Roſa Epiſc. Puteol. C. M.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. PRÆSUL.

COmmentarios in Ariſtotelis Vitam, quam a Diogene Laertio accepimus, ab eruditiſſimo Viro D. Joſepho Priſco elucubratos perlegi, & miratus ſum bene multa Auctorem Graeca callentiſſimum emendaſſe atque illuſtraſſe, quae Henricum Stephanum, duos Caſaubonos, Aldobrandinum, Meibomium & Menagium latuere, quamquam in eodem Diogene explicando impenſe adlaborarint. Quare cum Auctor Regiae Majeſtati in omnibus conſultum eat, de qua eſt apprime beneme-

merentiſſimus, hujus libri ἔκδοσιν litteratis omnibus utiliſſimam cenſeo, ſi ita &c.

Neap. prid. Kal. Nov. 1738.

Addictiſſimus, & obſequentiſſimus cultor
Jacobus Martorellus Gr.Lin.Prof.

Viſo reſcripto Suæ Regiæ Majeſtatis ſub die currentis menſis & anni, ac approbatione facta per Magn. D. Jacobum Martorellum de Commiſſione Rev. Regij Cappellani Majoris.

Die 26. menſis Novembris 1738.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbatione dicti Reviſoris, verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica &c.

ROCCA. MAGIOCCA. VENTURA. DANZA.

Ill. Marchio de Hippolyto Præſes S.R.C. *tempore ſubſcriptionis imped.*

Citus.

EMI-

EMINENTISSIMO SIGNORE, &c.

Dominus Canonicus D. Bernardus Cangiano S. Theolog. Doct. & Magiſter Collegialis revideat, & reſcribat. Neapoli 22. Octob. 1738.

CARMINUS EPISC. ANTINOPOLITANUS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Canon. Deput.

EMINENTISSIME DOMINE,

Librum cui Titulus, *Vita Ariſtotelis Stagiritæ Commentariis illuſtrata*, Auctore Clariſs. viro D. Joſepho Priſco, ſumma voluptate legi; atque in eo nihil inveni, quod ſit aut Orthodoxæ Fidei, aut Chriſtianis moribus repugnans; quin omnia quæ politiores literas ſapiunt, ab Auctore ſtudioſe conquiruntur, quibus Philoſophiæ candidati, omniſque Reſpublica literaria juvari poſſit. Quare illum typis digniſſimum judico; ſi ita Eminentiæ Tuæ viſum fuerit.

Neapoli IV. Kalen. Novembres 1738.

Em. Tuæ.

Humill. Addictiſs. & Obſequentiſs. Cultor
Bernardus Canonicus Cangiano.

Attenta ſupradicta relatione Domini Canonici Reviſoris Imprimatur. Neapoli 27. Octobris 1738.

CARMINUS EPISC. ANTINOPOLITANUS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Canon. Deput.

Auctor

SI QUID HIC PRÆTER MAJORUM DICTUM FIDEM
QUOD IMPRUDENTI EXCIDIT
FACTUM NOLLEM INDICTUMQUE VIDERI VOLO.
HAVE ET FAVE.

Quare multa admodum providentia ſemper utendum eſt; ubi virum vituperare, aut laudare voles, ut ne quid non recte dicas. Hujus itaque gratia ſtudium adhibendum eſt, ut bonos, & malos viros cognoſcamus: indignatur enim Deus ubi quis ipſi ſimilem vituperat, aut laudat aliquem ipſi diſſimilem; eſt autem ipſi ſimilis vir bonus.

Plato in Minoë.

VITA

V I T A
ARISTOTELIS STAGIRITÆ
ASSIDUIS
ILLUSTRATUR COMMENTARIIS.

PARTIS PRIMÆ

§. I.

LAERTII DIOGENIS VERBA
Thoma Aldobrandino interprete.

ARISTOTELES Nicomachi, Phæſtidiſque filius, Stagirites fuit. Nicomachus autem Nicomacho Machaonis filio natus eſt, cui pater Aſclepius fuit, quemadmodum eſt apud Hermippum in libro de Ariſtotele; cumque Amyntha Macedonum Rege vixit, qui eo & medico, & amico utebatur.

COMMENTARIUS IN §. I.

INitia generis glorioſa quidem fuiſſe Ariſtoteli, præter Hermippum a Laertio laudatum, literis, monumentiſque ſuis per verba quoque iſta conſignavit Suidas: *Nicomachus medicus & ipſe Stagirita, Machaonis* 1
filius, Æſculapii nepos, a quo genus duxit Nicomachus pater Ariſtotelis philoſophi. Lyceum vero enixe ſtū-

Digitized by Google

dens Coryphæum ſuum Α῎λφα Philoſophorum facere, id
verbis extollit adeo, ac ſi ad acrem, vigentemque men-
tem & proſapiæ vetuſtas,& originis nobilitas plurimum
conſerat. Si quid aliud eſt in Philoſophia boni, hoc eſt
2 quod ſtemma non inſpicit. Bona mens omnibus patet,
omnes ad hoc ſumus nobiles, nec rejicit quenquam Phi-
loſophia, nec eligit, omnibus lucet; ex animi ſententia
Senecæ. Nihil porro obſtitit Socrati (mitto ceteros)
3 ſtatuario parente, matre obſtetrice naſci, quin doctri-
næ præſtantia cunctis antecelleret ſui ævi ſapientiæ ma-
giſtris. Doctum, probumque virum non reddunt præ-
clara geſta parentum, nec avorum honeſta facinora,
quiſque talis evadit Marte proprio; Graji enim vatis
oraculo, ante virtutem Dii poſuere ſudorem:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα Θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Α'θάνατοι . . . .

Quid præterea? quid? Commendationem, glo-
riamque a fumoſis majorum Ariſtotelis imaginibus pe-
titam, omnino commentitiam reddidit Tzetzes alleve-
rans, Nicomachum, non quod Æſculapii e ſtirpe or-
tus, ſed quoniam profeſſione medicus τροπικῶς Aſcle-
piadem nominatum. Idque non parum arridet, quum
medici Α'σκληπιαδῶν παῖδες dicantur Græcis: & eodem
ipſo Suida annotante: *Aſclepiadæ*, medici, ab Æſcula-
4 pio, qui ex eo nomen habet, quod corpora integra,
& ſalva conſervet.

Ariſtotelis matrem aliqui Phæſtida, alii vero di-
xerunt Phæſtiada; quam ut ab Æſculapio genus quo-
que duxiſſe ſuum perſuadeat Peripateticus Ammonius,
5 hoc utitur Epigrammate tanquam idoneo teſte:

Φαιστίδος ἦν μητρός, καὶ Νικομάχου γενετῆρος
Τῶν Α'σκληπιαδῶν, δῖος Α'ριστοτέλης.

Latinuſve interpres, ut apud quoſque philoſophus hic
ex-

extollatur, illud ita cenſuit vertendum, ſed prave:

Nicomacho genitus fuit hic patre, Phæſtide matre,
(Ambo Aſclepiadæ) dius Ariſtoteles.

Verumenimvero ex Ammonio ſciſcitabor primum, ulluſne Scriptor extet antiquus, qui de hoc Epigrammate vel verbulo meminerit? Et quanquam ipſe univerſos Lycei gregales vincat audacia, id tamen negaturus. Meras quamobrem haſce nugas illum egiſſe palam eſt.

Tametſi Ammonio id largior, vetuſtiſſimumque fuiſſe Diſtichon ei ultro concedo, minime vero inveniri poterit, quomodo eliciat ipſe, & tanquam ab illo exprimat, quod uterque Ariſtotelis parens, Nicomachus nempe, Phæſtiſque generis originem habuerint ab Æſculapio: ἀμφότεροι δὲ οὗτοι ὅτε Νικόμαχος, καὶ Φαιστὶς τὸ γένος εἶχον ἀπὸ Ἀσκληπιοῦ. Ego porro nunc, quemadmodum ſoleo, parum de aliorum meſſe ſolicitus, hujus negotii accuratiorem indaginem Græce doctioribus lubens committo, contentus tantum aptam hanc magis, ut reor, accommodatamque Græco Epigrammati interpretationem in medio ponere, ut facile quiſque ſedens æſtimator æquus, & judex poſſit decernere, num ab Ammonii expoſitore illi appoſite additum, *ambo Aſclepiadæ*. Ecce igitur, mea ſententia, germanus ſenſus illius:

Matre creatur Phæſtide, Nicomachoque parente,
Stirpe Aſclepiadum divus Ariſtoteles.

Hujus philoſophi matrem Dionyſius Halicarnaſſeus, inter Grajos non ignobilis ſcriptor, a Chalcidenſi quodam ex ea colonia, quæ Chalcide Stagiram aliquando deducta eſt, oriundam autumat. Et ideo fortaſſe factum, quod Ariſtoteles apud Athenienſium judices impietatis crimine accuſatus, illorum judicium ſibi conſulens fuga antevertere, Chalcidem prius quam alio, 6

 tan-

tanquam ad ſuos, ſeſe receperit. Hactenus de progenie Ariſtotelis dicta ſint ſatis, etenim id neque confirmare argumentis, neve refellere magis in animo eſt; ex ingenio quiſque ſuo vel demat, vel addat fidem; quippe ego docenti accedo Menandro, quemlibet propria natura ad bona proclivem, matre quamvis Æthiope natum, eſſe nobilem:

> Ὃς εὖ γεγονὼς ᾖ τῇ φύσει πρὸς τἀγαθὰ
> Κἂν Αἰθίοψ ᾖ μήτηρ, ἐστὶν εὐγενής.

7 Poſt Nicomachi, Phæſtidiſque occaſum, in contu-
bernio manſit Proxeni cujuſdam Atarnenſium nomine
peregrinos hoſpitio excipientis. Tanti dein ipſe me-
mor beneficij, Nicanorem Proxeni orphanum non edu-
cavit ſolum, ingenuis illum quibuslibet erudiendum di-
ſciplinis ſatagens, ſed & filium ſibi quoque adoptavit;
quumque morti proximus teſtamentum fecerit, pro-
priam natam Pythiam huic Nicanori nuptui dandam
8 juſſit. Sororem Arimneſten, fratremque habuit Ari-
mneſtum, de quorum factis nihil memorabile ferunt mo-
numenta antiquorum, niſi quod is abſque liberis, priuſ-
9 quam Ariſtoteles moritur, vitam cum morte commu-
taverit.

Ex Pythiade Hermiæ eunuchi olim meretricula fi-
liam ſuſcepit Pythiam. Hanc tribus nuptam perhibe-
tur viris; primum quidem Nicanori illi, de quo paulo
10 ante dixi; ſecundo autem Proclo, ex genere Demara-
ti Lacedæmoniorum regis, quæ duos huic peperit li-
beros Proclem, & Demaratum, iique Philoſophiæ
apud Theophraſtum dedere operam; tertio tandem
Metrodoro medico Chryſippi Cnidii diſcipulo, Eraſi-
ſtrati præceptori, cui natus eſt filius Ariſtoteles. Si ta-
men hæc veritati accedant, profecto Plinius primo ca-
pite vigeſimi noni libri naturalis Hiſtoriæ hallucinatus

eſt,

eſt, prognatum eo loco non ſolum ratus ex Pythia Ari-
ſtotelis filia medicum Eraſiſtratum, ſed & hunc ipſum
Chryſippi quoque diſcipulum faciens. Pythiade ſcorto 11
fato functa, Herpylidem etiam concubinam amplexa-
tus eſt, cujus conſuetudine Nicomachum genuit; quum-
que diem obiiſſet ſuum Ariſtoteles, Theophraſti alu-
mnus ille, amaſiuſque fuit; ac, ut Græcorum nonnemi- 12
ni viſum, juvenis in bello cecidit.

Germana Ariſtoteli patria, omnium calculis, Sta-
gira aſſignatur, in eaque illum nonageſimæ nonæ Olym-
piadis anno primo aliqui natum volunt; ante noſtram
videlicet Redemtionem trecenteſimo ſeptuageſimo cir-
citer altero. Aulus Gellius, anno ſeptimo poſt recupera-
tam, & a Gallis liberatam Romam, illum fuiſſe ortum 13
affirmat; Plutarchus vero, multo ante captam a Gal-
lis Urbem, ab Ariſtotele id veluti prænuntiatum ſcribit. 14
Cuinam fides adhibenda, videat qui voluerit, quum
hæc a noſtro inſtituto vel quam maxime recedant.

Quam dixi modo Stagiram hoſtilibus Macedo-
num armis, incurſionibuſque vaſtatam, ac veluti ſolo
æquatam, alii a Macedonum rege Philippo, alii ab
ejus filio, regnique ſucceſſore magno Alexandro ipſius
Ariſtotelis gratia inſtauratam perhibent. Peripateticus 15
Ammonius addidit, Stagiræ incolas tanti officii non
immemores, conſueviſſe quotannis feſtum *Ariſtoteleum*
nuncupatum celebrare, menſem in quem illud incide-
ret *Stagiritem* nominantes. Nobilis tamen orator De- 16
mochares, Demoſthenis ex ſorore nepos, & qui hi-
ſtoriam rerum Athenis ſua ætate geſtarum, non tam hi-
ſtorico, quam oratorio dicendi genere ſcripſit, Stagi-
ritam *patriam ſuam Stagiram Macedonibus prodidiſſe* 17
palam prædicat. Democharis hæc ſatis gravis, ſatis
idonea teſtificatio, quippe hominis temporibus Ariſto-
telis

Digitized by Google

telis maxime florentis; plures mihi dedit tanquam anſas ad dubitandum, num is quod Stagiræ oriretur, dictus fuerit *Stagirita*, an vero nactus cognomen potius ex ipſo indigno facinore. Nempe quemadmodum P. Scipioni, propter ſubverſam Africam, *Africani*; ejuſque fratri Lucio, ob ſubactam Aſiam, *Aſiatici*; tandemque Martio; a Coriolis debellatis, *Coriolani* inditum cognomentum: hoc tamen diſcrimine, ut iis gloria, illi improbitas; hiſce ſtrenuitas, Ariſtoteli patriæ proditio paraverit nomenclaturam.

Qui præter bonam Philoſophi noſtri famam nihil ultra quærunt, Stagiram Macedoniæ oppidum faciunt: Herodotus vero, Thucydides, Pauſanias, & Suidas Graji vetuſtiſſimi non minus, quam fama graves ſcriptores, eandem Thraciæ urbem volunt; quod idem eſt ac ſi dixeris, barbarum natione illum fuiſſe, hominemque in dedecore natum. Si rebus in iis, quibus vetuſtas lucem eripuit, & quaſi noctem quandam offudit, probabilibus conjecturis locus eſt, geſta revera Ariſtotelis barbarorum mores non parum redolere comperies. Religionis nanque maximus ille deſpectus; propriæ patriæ proditio; venenum magno Alexandro ejus induſtria propinatum, aliaque id genus deteſtanda immaniave facta, barbari ejuſdem ingenii magnum argumentum, indiciumque præbebunt.

Accedit, quod ſi non Thracum, ſed Macedonum verbo Ariſtotelis ætate audiens fuiſſet Stagira: quid proditione Ariſtotelica opus, ut ea potirentur Macedones? Si non illa barbarico inquinata cœno: cur poſt
18 ejus reſtaurationem, novis curatur legibus exornari? id, quod opinor, ut barbariei fæce ſepoſita, novos per Græca inſtituta indueret mores.

At de Ariſtotelis nomine quid proferam? Sunt e Peripa-

ripa-

ripatetico grege qui velint, Nicomachum Stagiritæ parentem tali in filio nomenclatura veluti ominatum; nimirum omnes ab illo diſciplinas eſſe ad extremum uſque, optimumque finem perducendas; hoc fortaſſe permoti, quod vocabula Græca ἄριςον, *optimum*; τέ- 19
λος vero, *finem* Latine denotantia invenerint.

Verum enimvero ſi omen in Ariſtotelis nomine cum Peripateticis perquiratur, illud etiam fœda, probroſaque prænuntiabit. Græcum quippe ἄριςον, eſt *prandium* quoque Latinis; τελεῖν vero, a verbo τελέω, *pecuniam impendere*; ex quorum verborum compage, *hominem in commeſſationibus, gulæque illecebris pecuniam erogantem* denominatum habebis. Id quam apte, quamque belliſſime in Ariſtotelem quadraverit, tunc liquebit, quando in patrimonio amplo illum heluatum, pecuniam ſuam prandiorum gurgitibus proluiſſe, Græcorum teſtimonio demonſtrabitur.

Præclaris in exquirendis pro Ariſtotele ſuo cognominibus, non parum defatigati certe ſunt Graji laudatores Lycei. Illum nanque cognominavere Φιλόσοφον, callide rati, quantum ego opinione auguror, eo artificio apud vulgus pro comperto habendum, Peripati Coryphæum cujuſcunque ævi philoſophorum facile tuliſſe primas, dignumque propterea meritis nactum cognomen *Philoſophi*. At quiſquis ſpecioſa iſta nomenclatura, ſingulari illum honore condecoratum ſibi ſuaſerit, maximo ſciat in errore verſari. Quid enim aliud *Philoſophi* nomen denotat, niſi ſapientiæ ſtudioſum? unde igitur probari magis poterit, Philoſophum non eſſe ſapientem, quam ex ipſius nominis ſignificatione? qui enim ſapientiæ ſtudet, utique nondum ſapit, ſed ut ſapere poſſit ſtudet, dicebat Lactantius.

Præter hæc, paſſim præbent monumenta antiquorum,

rum,

Digitized by Google

rum, quamplurimos extitiſſe aliquando deteſtandos Græciæ philoſophos, nobilioribus ad ſidera cognomentis elatos, ſtulto ſic ſectarum amore cogente. Ceteros ſileo, ſitque pro cunctis impius ille Protagoras, *Sa-*
20 *pientiæ* cognomine decoratus: ἐκαλεῖτό τε σοφία. Si vero intra barbari Lycei fines dirigatur mens, animuſque, primo profecto intuitu in conſpectum prodet ſceleſtus, execranduſque Arabs *Aboolit Benroiſt*, & ob excellentem voluminum Ariſtotelis interpretationem, ut autumant Peripatetici, *Commentator* ab iiſdem appellatus. Quanquam is religionem Judæorum, Chriſtianorum, ac Mahometanorum quoque, quam ipſe profiteri ſimulabat, deridiculam facit; hanc nempe porcorum, aliam impoſſibilem, tertiamque infantium appellans, tamen nihilominus idem hic ab Arabibus ſuis *Averrois* cognomento inſignitur, quod eorundem lingua, *Abyſſus ſapientiæ* ſonat.

Id ſi ita ſit: quo jure, peto, gloriabundi geſtient Peripatetici, dum Ariſtotelis loco, *Philoſophum* didicerint propriæ reſonare ſcholæ. Age nunc Lycee, ſine ſis Averroiſtarum potius lætetur barbarus chorus, tuis audiens in exedris, ſuum *Aboolit* cognominatum *Abyſſum ſapientiæ*. O perquam graviter, ægreque turgentia Stagiritæ præcordia talem latura contumeliam, ſi ab inferis ipſi ſurgere aliquantiſper datum. Cui præ acerbo livore ilia rumpebantur intuenti, proprium magiſtrum Platonem ſummis meritiſſimo evectum laudibus: nonne adverſus Scholaſticos ipſe ira exardeſceret, eum *Sapientiæ amatorem*, ipſius vero *Commentatorem*, cum Mahometanis nominantes *Averroem*?

Eſto propterea non tangatur iracundia, facileque cognomen Averroiſtico abjectius ferat: commoveri ne fortaſſe deſinet, dum tumidos, ac ſui jactantes Scholaſti-

cos

cos titulis proprio ipſius exquiſitioribus viciſſim exorna-
tos animadverteret ? Illum profecto ægre habiturum
(quis non credat?) Ægidium Columnam, *Doctorem fun-
datiſſimum* ; Henricum Gandavenſem , *Doctorem exi-
mium* ; Guilhelmum Occamum , *Doctorem ſingularem* ;
Alexandrumque de Ales , *Doctorem irrefragabilem* , in-
tra Peripati cancellos , buccis inflatis cognominari ,
ipſum vero dici tantum *Sapientiæ amatorem* ?

Sed quid ego hæc ita argumentor ? Si etiam apud
Ethnicos , Paganoſque , *Philoſophus* ille eſt , qui om-
nem bene vivendi rationem tenet , & proſequitur : quo-
modo , dicite Peripatetici , ſummus veſter Imperator
Ariſtoteles , fœdiſſimis homo moribus , in Chriſtiano-
rum ſcholis merito eo cognomine inſignietur a vobis?
Quam a Philoſopho aliena ſit flagitioſa vita , animique
turpitudo , Romanus Orator expromit. *Ut enim ſi gram-* 22
maticum ſe profeſſus quiſpiam (verba ſunt Tullii) *bar-
bare loquatur ; aut ſi abſurde canat is , qui ſe haberi ve-
lit muſicum , hoc turpior ſit , quod in eo ipſo peccet , cu-
jus profitetur ſcientiam. Sic philoſophus in ratione vitæ
peccans, hoc turpior eſt, quod in officio, cujus magiſter eſſe
vult, labitur , artemque vitæ profeſſus , delinquit in vi-
ta* . Ite nunc Lycei filii, & facite, ſi tamen vires, arteſque
veſtræ ſuppetant , ut improbo , ac nequam Ariſtoteli ju-
re adhæreat cognomentum *Philoſophi* .

Alterum vero eximium *Dæmonii* cognomen propte-
rea Stagiritæ inditum jactitant Peripatetici , quod He-
ſiodi ſententia docuerit Plato , ſapientes viros , pru-
denteſque , δαίμονας quaſi δαήμονας a ſcientia appella-
tos . Longum ſane , minimeque neceſſarium recenſere
hic arbitror , quantum literis Græcis eruditi inter ſeſe
diſſident , atque diſcordant interpretando , quid ſibi re-
vera voluerint apud nationem Græcorum vocabula iſta,

Digitized by Google

δαίμων, *δαιμόνιος*, *δαιμόνιον*, ac *δαιμονίη*. At largiar quamvis Lyceo, hanc Heſiodiam, Platonicamque nomenclaturam plauſibilem in Græcia, communiterque receptam: quid tum inde? Eritne fortaſſe Ariſtoteles ex illis unus, qui Heſiodi, Platoniſque judicio *δαίμων*, vel *δαιμόνιος* nuncupari promereatur? Age nunc ſedulo aliquantum in rem inquiramus, videamuſque, num conveniat optime ad pedem cothurnus.

Dialogo, qui *Cratylus* inſcribitur, Plato Socratem cum Hermogene alloquentem introducit, atque ab hoc ille ſciſcitatur: nunquid noverit ipſe, quos Heſiodus *Dæmones* dixerit eſſe, & quodnam aureum primum hominum genus? de quo ſic Poeta cecinit.

Aſt ubi & hocce genus fatis conceſſit iniquis,
Dæmones hi, ſanctique boni terris vocitantur,
Depellunt mala, ſuntque hominum cuſtodia firma.

Carmina hæc aggreſſus enarrare Socrates inquit, ſe arbitrari Poetam ſane dicere, aureum genus, non ex auro productum, *ſed Bonum*, & *Pulchrum*; atque ex hominibus qui nunc ſunt, ſi quis *Bonus* eſt, hunc aurei illius generis eſſe. At *Boni* aliud quid ſunt, (ſubdit idem) quam *Sapientes*? Hoc itaque præ omnibus dicit Heſiodus, velut mihi videtur, quia *Sapientes*, & *Prudentes* fuerunt, *δαίμονας* ipſos, quaſi *δαήμονας* nominavit, & in noſtra priſca lingua hoc ipſum exiſtit nomen. Recte igitur & hic, & alii multi Poetæ dicunt, qui ſcribunt, quod ubi quis *Bonus* vita functus fuerit, magnam portionem, & honorem habet, & fit *Dæmon* juxta ſapientiæ cognomen. Hac itaque ratione & ego ſentio, omnem *Prudentem* virum, qui *Bonus* fuerit, *δαιμόνιον* eſſe, & viventem, & vita functum, recteque *Dæmonem* appellari. Hæc ſunt quæ apud Platonem legimus. Ergo quoniam præter *virum bonum* nemo *δαιμόνιος* appel-

lau-

landus, præſto eſt, qui ſano conſilio neget, *Dæmonii* cognomentum recte Ariſtoteli impertitum a Peripato. Quam bonæ frugi homo, quam plenus pudoris, plenus fuerit religionis Lycei anteſignanus, id aliorſum pertinet, atque brevi tempore alio loco dicetur a nobis.

Quanquam Lyceo ultro concedo, ac libenter do, Heſiodi nempe veterrimi Poetæ tempeſtate, δαίμονος, atque δαιμονίου appellationem bene audiſſe; Ariſtotelis tamen ejusdem temporibus odioſam illam, & infeſtam ſane habitam, nemo quiſquam, licet e Peripato, poſthac inficias iturus. In veteris nanque Teſtamenti Græcis codicibus ſeptuaginta Interpretum verſione hæc ha-
bentur: ἔθυσαν δαιμονίοις, καὶ οὐ Θεῷ; *immolaverunt Dæ-* 23
moniis, & non Deo. Et in quodam Pſalmo: ὅτι πάντες
οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια; *Quoniam omnes dii Gen-* 24
tium Dæmonia; ſicut etiam alio Pſalmo: καὶ ἔθυσαν τοὺς
υἱοὺς, καὶ τὰς θυγατέρας αὐτῶν τοῖς δαιμονίοις; *Et immo-* 25
laverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonibus.

Non dubium eſt igitur, quin ſeptuaginta Interpretum ætate apud Grajos *Dæmonii* appellationem abominandam fuiſſe, deteſtabilemque exiſtimatam. Attamen ſi Lyceo non ita videatur, dicat quæſo: cur *Dæmonii* magis vocabulo, quam alio eruditiſſimi Septuaginta uſi fuerint ad indicanda execrabilia Idola? Commendabilis forte aliquid in Hebraicis Scripturarum voluminibus de falſis ſimulacris illis iidem Interpretes invenerant, ut ipſa debuiſſent honorifica *Dæmonii* appellatione decorare? quoniam in iis ſedem, domiciliumque ſuum Satan collocaverat, ideo a doctis Septuaginta Græco ſermone fuerunt nominata *Dæmonia*. Hoc ita perſpicuum eſt, ut id qui neget, eum ſanæ mentis non exiſtimem.

Quod vero a Stagirita non longe Sacrorum librorum in Græcum verſio fuerit celebrata, facillime liquebit.

Digitized by Google

Ariſtoteles enim impietatis crimine accuſatus, Chalcidem profugit Olympiadis centeſimæ, & quartædeci-
26 mæ anno tertio, ut traditur; Ptolemæus vero Philadelphus Divinam Scripturam in vocem Græcam ex Hebraica lingua, Olympiada vigeſima quarta ſupra centeſimam transferri curavit. Ex hoc colligere poteris, *Dæmonii* nominationem apud Grajos Ariſtotelis coætaneos fuiſſe contumelioſiſſime acceptam. Quid, quod antiquis etiam Græciæ ſæculis male audiebat nomen *Dæmonii*? Apollo nanque Mileſius ille de Judæorum religione aliquando conſultus, reſponſio hæc indidit:

27 Ἠδὲ θεὸν βασιλῆα, καὶ γεννητῆρα πρὸ πάντων
Ὃν τρέμεται, καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα,
Ταρτάρεοί τε μυχοί, καὶ δαίμονες ἐκφρίττουσιν,

Quæ totidem verbis ſic ſuere Latinæ conſuetudini tradita, recenſente Marco Muſuro.

Et Deum regem, & genitorem omnium,
Quem Terra timet, Cœlumque, ac Mare,
Et latebræ tartareæ, atque Dæmones metuunt.

Verumenimvero *Dæmonii* cognomentum poſt Chriſtum natum Ariſtoteli tributum inſuſurrabit fortaſſe quiſpiam de Peripato. Belle plane. At Auguſtinum audiamus, num in *Dæmonis* notatione vires ipſe addat, vel demat reſponſioni. *Nos autem* (verba ſunt Sancti
28 Doctoris) *ſicut Scriptura loquitur, ſecundum quam Chriſtiani ſumus, Angelos quidem partim bonos, partim malos, nunquam vero bonos Dæmones legimus. Sed ubicunque illarum literarum hoc nomen poſitum reperitur, ſive Dæmones, ſive Dæmonia dicantur, non niſi maligni ſignificantur ſpiritus. Et hanc loquendi conſuetudinem in tantum populi uſquequaque ſecuti ſunt, ut eorum etiam, qui Pagani appellantur, & Deos multos, ac Dæmones colendos eſſe contendunt, nullus fere ſit tam lite-*

literatus, & doctus, qui audeat in laude vel ſervo ſuo dicere, Dæmonem habes. Sed quilibet ſi hoc dicere voluerit, non ſe aliter accipi, quam maledicere voluiſſe, dubitari non poſſit.

Dilucide quamobrem, atque perſpicue cernere eſt, ſuperioribus, poſterioribuſque ſæculis *Dæmonii* nomen fuiſſe contumelioſiſſime acceptum. Et ita ſane primum nuncupantibus δαιμόνιον Ariſtotelem, quocunque id acciderit ævo, ignominia illum potius afficere, quam extollere laudibus iis animum fuiſſe crediderim; quam in magiſtrum jactam contumeliam, in bonam deinde partem, ut moris eſt, vertere inſudarunt ejus alumni, ſectatoreſque Græci, atque Latini. Sententiæ huic meæ tantum ponderis, auctoritatiſque adjungit Divus Hieronymus, Græcis literis non vulgariter eruditus, quod ſi quis veritati huic dare manus recuſaverit, minus eum multo ab inſania abhorrere, quam a temeritate dixerim. Sanctus porro hic Eccleſiæ Doctor verba Pſalmi nonageſimi, δαιμονίου μεσημβρινοῦ Latina reddens, *Inſanientis meridie* interpretatur.

Neſcio quorum inſtructi monumentis Græcorum Beſſarion Cardinalis, & cum eo Rhodiginus Cœlius fuerint opinati, δαιμόνιον cognominatum Ariſtotelem pro- 29
pterea, quod naturalium ſcientiam rerum in primis com- 30
plexus ſit, quarum ratio ſublunari fere continetur mundo, qua in parte Dæmonibus præſcripta putabantur loca. Ea ſententia, præterquam, ut dixi, nullis ſit antiquorum ſuffulta documentis, Peripato etiam in Ariſtotelem ſuum tanquam in Ισόθεον quendam intuenti minus arridet.

Quamobrem fruſtra eruditiſſimi viri (ſit bona eorundem venia dictum) in perveſtigando jactantur: cur apud Grajos *Dæmonis* cognomentum adhæſiſſet Ariſtoteli?

teli ? quando id in illius opprobrium factum nequeat dubitari. Nonne fortaſſe inter antiquiores quidam inventi,
31 ti, qui Stagiritam *incubi Dæmonis filium* dixerint? Nonne ipſiſſimi Græci Peripatetici, eundem *Pythii Dæmonis*
32 *monitu* Philoſophiæ ſtudium ingreſſum profitentur ? Nonne, tandem, idem ipſe dæmoniacis ſemper animi dotibus locuples, ornatuſque apparuit ? nempe nocendi cupidus, ſuperbia tumidus, invidia lividus, falla-
33 ciiſque callidus, qualem facit *Dæmonem* Auguſtinus Sanctus. Quid hic monſtri igitur, ſi a parente, ſi ab ſtudiorum ſuaſore ſuo, ac a proprio ingenio, moribuſque *Dæmoni* non abſimilibus, a vetuſtioribus Græcis *δαιμόνιος* Ariſtoteles fuerit contumelioſe appellatus? Teſtis eſt Tertullianus, qui, Gentiles, ait, *Dæmonium* vocaſſe hominem aut immunditia, aut malitia, aut inſolen-
34 tia, aut quacunque macula infectum, quam nos Dæmoniis deputamus.

Hactenus de cognominibus iis actum eſt, quorum nobilitate, præſtantiaque Ariſtotelem ſuum extollere ſategit Lyceum; nunc recenſendum reſtat, quibus dignum reputaverit illum docta vetuſtas, ut facile quiſque aſſequatur, quam confidentiſſime Ariſtotelea familia antiquior indoctam deluſerit poſteritatem.

Divus Baſilius Stagiritam appellat *Belial*, hoc He-
35 bræorum vocabulo deſignans hominem omni ratione, humanitate, religione, pietate, & probitate deſtitutum. In Salomonicis nanque proverbiis invenies: *Homo Belial eſt vir vanus, ore perverſo incedens, annuit oculis ſuis, indecore pedes ſuos ſuccutit, ſignificat digitis ſuis, perverſitates habet in corde ſuo, concinnat malum omni tempore, immittit contentionum occaſiones.*

36 Epicurus Ariſtotelis coætaneus, illum cognominavit *ἄσωτον*. Aldobrandinus in ſua Laertii verſione, hujus

Digitized by Google

jus vocabuli vim, ſignificatumque Latio non exponit,
contentus tantum ejuſdem elementa e Græcis Latina
reddidiſſe, inquiens *Aſotum*, Marcus vero Meibomius,
Prodigum legit. Eruditiſſimus tamen Gaſſendus pro-
pius ad rem accedit, illudque ἄσωτον, *quaſi luxu perditum*
interpretatur. Verum de Aſotis hæc ſcripta apud Cice- 37
ronem habentur: *Nolim* (inquit) *mihi fingere Aſotos,*
ut ſoletis, qui in menſam vomant, & qui de conviviis
auferantur, crudique poſtridie ſe rurſus ingurgitent,
qui ſolem, ut ajunt, nec occidentem unquam viderunt,
nec orientem, qui conſumtis patrimoniis egeant. Quid
plura? Ipſiſſimus Ariſtoteles *Aſotos* per eadem fere ver- 38
ba definivit.

Βάττος quoque, Rhodigino narratore, fuit Stagi-
rita cognominatus: idque, ut quibuſdam viſum, ἀπὸ
τοῦ βατταρίζειν, quod præterquam impedite loqui, ac
balbutire; verſute, & fraudolenter agere Latine quo-
que interpretatur. Tullius vero, pro *effutire* illud vi- 39
detur accipere; inde ad eos translatum, qui nugas de-
blaterant, quemadmodum obſervat Eraſmus; verum
erudito huic viro arridet magis dictum fuiſſe, pro *dolo*
malo agere. Sit undequaque tamen deductum id *Batti* 40
cognomen, quam apte in Ariſtotelem quaquaverſum
quadraverit, pluribus docebo alias: illo enim nemo do-
loſior, nugator magis nemo apparebit.

Ab Attico nominatur *Beſtia acris, & verſipellis.* 41
Et revera quicunque in Stagiritam intendat animum,
nullo quidem negotio percipiet, adeo acri, vehemen-
tique eum incitatione adverſus nobiliſſimos quoſque an-
tiquitatis Philoſophos fuiſſe inflammatum, ut ſepoſitis
hominum moribus, belluinum prope induerit ingenium.
Ariſtoteleas verſutiloquas malitias tunc deinde in aper-
tum prodidiſſe comperies, quando ejus affectatam ſer-
monis

mon is obſcuritatem , doctrinæque inconſtantiam narrandi nobis erit idonea occaſio.

42 Athenæus, *Delirantem Pharmacopolam*; Cephiſo-
43 dorus, *Voluptuarium*, *& Catillonem* dixit. Sed cur laboro in Philoſophi hujus cognominibus hinc , atque illinc exquirendis? Illorum uberem meſſem congeſſit Ti-
44 mæus hiſtoricus : tradidit quippe Græcus iſte ſcriptor, illum fuiſſe audacem, petulantem, inſipientem , indoctum, hominem inviſum, quod pretioſam tabernam medicam clauſerit, & in quamvis aulam, & ſcenam inſiluerit, voracem quoque lurconem, ad palatum omnia referentem.

Verum non video, Suida, cur Timæi hæc tibi ſtomachum fecerint: non enim is illorum unus, & unicus auctor habendus. Si quos culpandos autumas, priſcos Græciæ ſcriptores in judicium voca; illos, inquam, qui eodem Ariſtotelis ævo , aut non longe ab illo diſtantes cum gloria viguerunt: ii porro magnificos hoſce, glorioſoſque titulos Peripati principi indiderunt. Et quamvis artus, nervoſque totos adverſus eoſdem intendere coneris, immunes tamen à mendacii crimine inveniendos autumo. Quis, obſecro, adeo vecors, ut ſibi ſuadeat, celebres fama viros tam turpia confingere , & comminiſci auſos, ſi his contraria quamplurimis explorata eſſe, temporum vicinitate, potuerant? Quo nanque præſidio turpem obtrectatorum notam declinaturi Epicurus, (ut alios prætermittam) Demochareſque , unus nempe tanquam *Aſotum* , alter vero veluti *patriæ proditorem*, fortaſſis vivum, taxans Stagiritam, niſi obvia omnibus hæc illius mala facinora ſeſe dediſſent?

Quid *patriæ proditorem* ajo? Idem ille luculentiſſi-
45 mus Hiſtoriarum ætatis ſuæ ſcriptor, Ariſtotelis coætaneus, Demoſtheniſque nepos Demochares, de quo jamdudum

Digitized by Google

dudum dixi, narrat, Philoſophi ſe hujus epiſtolas adverſus Athenienſes inveniſſe; & quod Olyntho Thraciæ urbe ab Philippo Macedone ſubverſa, Stagirita ditiſſimos Olynthiorum quoſque ad ſpoliandum Regi prodidiſſet. Egregia certe facta, & nobili Philoſopho digna!

Parcat igitur Timæo aliquando Suidas, parcat, dico, feratque, patiatur, & ſinat libenter de Ariſtotele antiquitatem male ſentire. Si philoſophiam profitentis animum, virtutis, & gloriæ non concitent ſtimuli, aut infamiæ metus non coerceat, in officioque retineat; debebuntne præteritarum rerum aſſidui narratores ſuſtinere manum, & in jugulum turpiter deſciſcentis a ſapientia, in poſterorum emolumentum, dedecoris, ignominiæve tela quaſi aliqua non intendere? Nec acerbe adeo ſe, ut arbitror, viri docti cum iſto Philoſopho geſſiſſent, ſi humano modo, ſi uſitato more, ſi ſaltem uno aliquo in genere peccaſſet. Quanta fuerint cujus generis cunque deteſtabilia Stagiritæ crimina, paſſim narrare operam dabo.

Verumenimvero ut præcordia in Timæum excandeſcentia prorſus compeſcat Suidas, quod oculos, animumq; ad vetuſtum hoc Epigramma ipſe convertat ju- 46
beo, & tunc videbit tunc oppido quam aperte, ut blandiſſime potuit fuiſſe Timæum de Ariſtotele loquutum. Quod dixi Epigramma tale eſt:

Σμικρὸς, φαλακρὸς, τραυλὸς ὁ Σταγειρίτης
Λάγνος, προγάσωρ, παλλακαῖς συνημμένος,
Α'ναλφάβητος ὅτοσι ςιχογράφος.
Αὖυς, ἄφρων. ἀγοίτης, αὐθάδης, λάλος.

Ecce latinus ſenſus illius.

Parvus, calvus, balbus Ariſtoteles,
Libidinoſus, ventricoſus, concubinis convinctus;

Indoctus iſte verſuum ſcriptor,
Demens, inſipiens, nefarius, inſolens, futilis.

Ii tandem ſunt egregii tituli, hæc cognomina ab ethnica, vetuſtave natione Græcorum Ariſtoteli impacta, quibus Lycei porticus exornavit, ut omni ævo, tanquam in tabula, Stagiritæ vera imago poſteris appareret. Si vero ſciſcitabitur quiſpiam, quone cognomento ab orthodoxis, meo judicio, inſigniendus Ariſtoteles? Hoc meum non eſſe reſpondebo: Franciſcus tamen Patricius ad Gregorium XV. P. M. ſcribens, in memoriam ei revocat, quod *Sancti Patres Ariſtotelem nonniſi cum infamia nominarunt.*

PARTIS PRIMÆ

§. II.

LAERTII DIOGENIS VERBA.

IS Platonis auditorum maxime germanus fuit: balbus erat voce, ut eſt apud Timotheum Athenienſem in libro de Vitis: ſed & cruribus exilibus, parviſque oculis præditus erat: veſte pretioſa, anuliſque utebatur, tondebaturque.

COMMENTARIUS IN §. II.

1 EX Apollodoro habetur, quod annos natus ſeptemdecim, ad audiendum Platonem ſe Stagirita contulerit, ſub cujus diſciplina viginti annorum ſpatio
2 fuit. Eumelus vero, illum triceſimo ætatis anno, eodem

Pla-

Platone magiſtro, Philoſophiæ ſtudere cœpiſſe ſcribit. Euſebius tandem Cæſarienſis Epiſcopus, in Olympiade 3
tertia ſupra centeſimam hæc annotat: *Ariſtoteles decimum octavum ætatis agens annum, Platonis auditor eſt.*

Ut in Apollodori ſententiam eat Laertius, Eumelum reſpuit, perperam tamen, niſi me fallo. In veterum porro literarum tractatione exercitis nota res, quod patrimonium ſatis lautum, luxui nimium indulgens quum effuderit Ariſtoteles, ſtipendia feciſſe primum; dein male illi militia cadens, pharmacopolam fuiſſe; Pythioque ſic ei oraculo conſulente, Philoſophiæ tandem operam dediſſe.

Re tamen perſpecta, hæc omnia per ætatem Stagirita explere non potuit: quantum, quæſo, tempus militem, quantum pharmacopolam, priuſquam ad decimum ſeptimum ætatis perveniſſet annum, dicemus illum egiſſe? Num ætate puerili paternam hæreditatem dilapidaſſe affirmabimus? Quomodo facile potuit primam illam ætatulam ſuam effrænate ad illecebras gulæ, inguiniſque deferre, ſi poſt parentum obitum, a Proxeno Atarneo educandus ſuſcipitur? Verum hæc
tam implicita, diſſona adeo, inter ſeſe optime conve- 4
nire, concordiaque mirabili congruere apparebunt, ſi fides adhibeatur Eumelo. Accedit eodem, quod Timæus hiſtoricus eo nomine Ariſtotelem ſuggillaverit, quippe qui *ſero diſcere cœperit*.

Antequam ad Platonem adiiſſet Stagirita, cum 5
apud Socratem triennium manſiſſe diſcipulum refert Ammonius; ſed hoc a Græculo falſe proditum reor: ſexdecim porro ab interitu Socratis annos naſcitur Ariſtoteles; nempe anno primo nonageſimæ quintæ Olym-
piadis e vita ille receſſerat; iſte vero, anno eodem, no- 6
nageſimæ tamen nonæ ortus eſt; narratore Laertio.

Quod vero idem Diogenes dixerit,fuiſſe Ariſtotelem
γνησιώτατον τῶν Πλάτωνος μαθητῶν, *Platonis*, ſcilicet, *au-
ditorum maxime germanum*, (Aldobrandini enarra-
tione) equidem omnino demiror; quum in diſceptatio-
nem revocari nequeat, quod unus omnium Platonis
diſcipulorum Ariſtoteles magiſtri dogmata pro nihilo
audacter putaverit, odioſeque confutare fategerit. Eo
etiam temeritatis auditor *ἀχάριστος* quandoque deve-
nit, quod præceptoris hæreſes narraturus, illas ſic de-
pravaſſet, corrupiſſetque, ut Angelicus doctor Aqui-
7 nas, & Alexander de Ales a Peripateticis *Irrefragabilis*
dictus, illum velut *Impoſtorem*, turpiſſima vulgi ap-
8 pellatione, inceſſere non dubitaverint. Et Iſaacus Ca-
ſaubonus, cui Stagirites ſanguis, ut eſt in proverbio,
& anima fuit, ſilentio præterire non potuit, multa ex
Platone attuliſſe Ariſtotelem, quæ fruſtra quæras in
Platonicis libris.

At quid moror in hiſce procul aliunde quærendis? Laudatus Laertius, neſcio num ſui oblitus, an veritatis coactu, apertiſſimis narrat verbis, quod Ariſtoteles *ἀπέστη δὲ Πλάτωνος ἔτι περιόντος*; *a Platone autem adhuc vivo defecit*. Utcumque ſe ea res habuit: quomodo, Diogenes, fieri poteſt, ut qui a proprio magiſtro vitam adhuc glorioſe vivente defecerit, is tamen ipſe *γνησιώτατος*, *maxime germanus*, *verus*, *ſincerusque* habeatur diſcipulus?

Marcus Meibomius illa Laertii verba *γνησιώτατον τῶν Πλάτωνος μαθητῶν* ſic e Græco convertit: *Hic inter Platonis diſcipulos maxime excelluit*. Sed unde eruditus homo maximam eliciat excellentiam, non invenio: acrioribus licet exagitetur tormentis *γνησιώτατον* Græcum, adduci nequaquam poterit, ut Latine *maximam excellentiam* proferat. Sit inſuper Meibomio inter Platonis diſcipulos *excellentiſſimus* Sta-

girita

girita, attamen & ipſi magiſtro non ita viſum, qui ei
Xenocratem, Speuſippum, Amiclam, alioſque præ- 9
ponebat. Et Simplicius ille Grajus Ariſtotelis non in-
diſertus interpres, omnium Platonis auditorum, Xe- 10
nocratem egregium magis, præſtantioremque facit.
Opinionem exitus comprobavit; etenim ullo tempore
Ariſtoteles, ſed a Platone ſecundus præfuit Academiæ
Xenocrates. Quem paulo ante laudavi, Caſaubonus,
eandem Diogenis noſtri narrationem ſic Latine conver-
tit: *Fuit Ariſtoteles unus ex omnibus Platonis diſcipu-* 11
lis, qui præceptoris doctrinam optime imbiberet; nem-
pe interpretatus verbum γνησιώτατος, *qui præceptoris*
doctrinam optime imbiberet: quod ritene an ſecus, vi-
deant Græcas literas docti, quos commonefactos inte-
rea velim, ne animum a Beato Theodoreto hæc docen-
te avertant: *Ariſtoteles autem, tametſi Platonis au-* 12
ditor fuerit, ex illius tamen doctrina parum profecit.

Haud ab re duxi regredi ſermone aliquantum, ut
obiter jam libata, majorum auctoritate firmarem. Le-
viter, inquam, tetigi, quod priuſquam ad audien-
dum Platonem ſe converteret Ariſtoteles, militiam
exercuiſſe primum, dein vero φαρμακοπωλεῖον; quæ ne
proprio arbitratu exiſtimentur conficta, Græcum hi-
ſtoricum Ælianum ita narrantem adducam: *Ariſtote-* 13
les obliguritis omnibus pecuniis, quæ ex hæreditate pa-
rentis ad ipſum devenerant, in militiam profectus eſt.
Deinde cum ſiniſtre, maliſque avibus hoc ei procederet,
pharmacopolam egit. Ad hæc teſtimonium quoque
Athenæi ſic dicentis accedit: *Multa alia proſequi deſi-*
no, in quibus deliravit Pharmacopola, *haud ignarus* 14
Epicurum veritatis amantiſſimum, in epiſtola de vitæ
rationibus, & inſtitutis prodidiſſe, illum diſſipato pa-
trimonio, repentino quodam animi impetu ſtipendia
ſe-

Digitized by Google

feciſſe, & cum parum felix ei eſſet militia, medica-
15 *menta vendidiſſe*. Timæus tamen in hiſtoriis, illum ne Pharmacopolam quidem facit, ſed *claudendis, & recludendis oſtiis in ignobilis cujuſdam Medici officina præfectum fuiſſe* dicit.

Pharmacopolio tandem, militiaque rejectis, auditor Platonis evadit, & id non proprio ingenio, conſilioque; verum ſic hortante, ut dixi, Oraculo Pythio. Ita prodidit ejus vitæ Grajus ſcriptor Ammonius: ἑπτακαίδεκα δὲ ἐτῶν γενόμενος, καὶ τῆς Πυθίας κελευούσης αὐτῷ φιλοσοφεῖν, στέλλεται ἐς Ἀθήνας; *Cum autem annum ætatis ageret decimum ſeptimum, monitus Oraculo Pythio, ut ſe ſtudiis Philoſophiæ dederet, Athenas venit.*

Sed quænam fuerit Pythia, unde Oraculum Pythium appellatum, hic placet ex Plutarcho narrare, ne fortaſſe juventuti Ariſtotelis factorum ſtudioſæ, quod in promtu non ſit, deſiderandum remaneat. Py-
16 thia hæc (ſunt verba Plutarchi) diſſerendi ut quiſpiam hominum indiſerta, alioquin ingenua, & vitæ honeſte actæ, educata in domo parentum ruſticorum, nihil ab arte, aut alia experientia, vel facultate ſecum ferens, in Oraculum deſcendit. Hac Pythia Deum uti ad viſum, & auditum, ſicut ſol utitur luna.

Hæc fuere Pythiæ initia; videamus modo finem
17 illius, de quo ita pergit dicere idem Plutarchus: Cum enim quidam ſcitatum Oraculum peregre veniſſet, fertur, ad primas libationes victima immobilis manſiſſe, neque paſſa quidquam: tandem inſtantibus certatim libando ſacerdotibus, velut imbre rigata, & madefacta contremuiſſe aliquantum. Quid ergo Pythiadi uſuvenit? Deſcendit in opertum Oraculi invita, ut ajunt, & animo maxime alacri; ſtatim autem in primis reſponſioni-

ſionibus apparuit ex aſperitate vocis, eam inſtar navis vento impulſæ, non ſuſtinere vim ſpiritus, adeoque repletam eſſe ſpiritu maligno, & muto. Tandem prorſus exagitata, cum terribili clamore ad exitum contendit, ibique ſeſe projecit, itaut non tantum conſultores fugerint, ſed & Nicander vates, & quotquot Hoſiorum aderant, ideſt ſanctorum. (ſic vatum ſodales appellantur) Paulo tamen poſt ingreſſi, ſuſtulerunt eam mente captam, ac ſupervixit paucos dies. Hactenus Plutarchus.

Ab illo Deo, ab hac Pythia ejuſdem interprete, commonitus Ariſtoteles Athenas conceſſit, ut Philoſophiæ incumberet. Quis propterea inficias iturus, de
quanam fuerit Philoſophia loquutus Divus Clemens, 18
dum ait: *Græca Philoſophia motum ſuum habet a Diabolo*? quando Græciæ Philoſophorum nemo, præter unum Ariſtotelem, Diabolo duce philoſophatus legatur. Hanc Lycei Philoſophiam nos admonet cavendam, doctorum ſuffragiis, Apoſtolus Paulus, verbis illis: *Vi-*
dete, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem 19
fallaciam ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum. Et revera, quænam Philoſophia inanis cenſenda magis, ac fallax ea, quæ a mendaciorum parente Diabolo originem traxerat ſuam? *Inanis fallacia jun-*
gitur Philoſophiæ ex traditione hominum, puta ex ſe- 20
cta Stoicorum, vel Peripateticorum; ſic annotante Cardinali Cajetano.

Quamvis prima fronte male literatis poſſit videri, Eminentiſſimum hunc virum, ex Peripati diſciplina in primis doctum, aſſeruiſſe, non opera tantum Peripateticæ ſectæ, ſed & Stoicorum quoque artificiis junctam Philoſophiæ inanem fuiſſe fallaciam; tamen nihilominus Philoſophorum placita eruditos (quos inter habendus pro-

Digitized by Google

profecto Cajetanus) non fugit, ſcholas haſce duas optime inter ſeſe convenire adeo, ut recte utravis cognita, ambas noviſſe dixeris. Nempe Stoici cum Peripateticis
21 re conſentire videntur, verbis diſcrepare, inquit apud Ciceronem Antiochus; cui aſtipulatur Tullius ipſe, aſſeverans, quod quum Stoici a Peripateticis omnia tranſtuliſſent, nominibus aliis eaſdem res ſecuti ſunt. Dubitaturus propterea prorſus nemo, docentem Cajetanum, a Peripateticorum, Stoicorumve ſecta additam Philoſophiæ *inanem fallaciam*, de una, & unica Peripati dicere voluiſſe.

22 Jeſuita Tirinus Divi Pauli verba illa enarraturus, *ne quis vos decipiat per Philoſophiam*; non omnem, inquit, ſed eam, quam falſi nominis alibi voco, nempe inanem, nihil ſolidi habentem; nec veram ſcientiam, ſed meram fallaciam; non ex divina inſpiratione, vel revelatione hauſtam, ſed ex vaniſſimorum hominum inventione, ac traditione. Non ſecundum Chriſtum, & doctrinam Chriſti, (licet id præſeferant) ſed ſecundum elementa mundi, ideſt rudimenta, axiomata, prima principia mundanæ doctrinæ, quibus animos ſuorum a pueritia imbuunt mundani homines. Talia axiomata apud Gentiles erant, *ex nihilo nihil fit*; *a privatione ad habitum non eſt regreſſus*; *accidentis eſſe eſt ineſſe*. Hæc ille. Peripati doctrinam hiſce præcipue vexatam, non eſt qui poſſit ambigere: iſta enim axiomata cardines ſunt, ſuper quos univerſa Ariſtotelis machina circumagitur.

Quod Lycei Philoſophia Deum mundi opificem, atque conditorem non faciat, ejuſque providentiam certis circumſcribat finibus, explorata quidem doctis, & nota res, de qua nihil nunc dico; ſervatus quippe mihi Paragraphus octavus eſt ad palam Stagiritæ delira-

menta

menta faciendum. Itaque ob nuperrime dicta, quum mundanam ſapientiam, inanemque præceperit cavendam a Chriſtianis fallaciam Apoſtolus, nihil aliud intelligi voluiſſe, quam Ariſtotelis doctrinam, ex Sancto Alexandrino Antiſtite ſic ajente facillime colligas. *Videte, ne quis ſit, qui vos ſeducat a fide in Chriſtum per Philoſophiam, & inanem deceptionem, quæ tollit Providentiam ſecundum traditionem hominum. Quæ eſt enim ſecundum traditionem Philoſophia, conſtituit, & confirmat Providentiam, qua ſublata, videtur fabula Servatoris œconomia, cum nos ſecundum elementa hujus mundi, & non ſecundum Chriſtum fateamur. Quæ eſt enim in Chriſto conſentanea doctrina & opificem Deum eſſe aſſerit, & deducit Providentiam uſque ad ſingularia, & talem elementorum novit eſſe naturam, ut in eam cadat ortus, & mutatio, eaque docet a Deo regi ad hoc, ut vim aſſimilantem, ac diſpenſantem habeant, adeout mens principalis omnem præcedat doctrinam.* Revertor ad Laertium. 23

Balbum fuiſſe Ariſtotelem, non hiſtoricus tantum noſter Diogenes, ſed & Suidas quoque apertiſſime tradidit; idque Plutarchus non obſcure ſignificat. Ab 24
Stagirita R literam in L pronuntiando converſam dicit Scaliger. *Battum* fuiſſe etiam appellatum apud Rho- 25
diginum legitur, propterea quod *Battus* quidam fuit 26
quandoque, a quo Cyrenas in Africa conditas fertur, adeo *ἰσχνόφωνος*, ut ab eo defluxerit verbum *βατταρίζειν*, quod *impedite loqui* nonnullis ſignificare placitum. Bleſus fuit quoque Demoſthenes, verum eſt; at is quum ita eſſet, teſte Tullio, ut ejus ipſius artis, cui ſtuderet 27
(nempe Ῥητορικῆς) primam literam non poſſet dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. Ariſtoteli vero hoc eveniſſe non legitur; nam primam proprii vitii ſyllabam (*τραυλότητος* ſcilicet) pro-

ferre

ferre non potuit, nec didicit unquam.

28 Venit hic in mentem quod de Ariſtotelis diſcipulo neſcio quo, in veterum monumentis legi. Hic cum audire in turba cœpiſſet Ariſtotelem, vidiſſetque præceptorem inter loquendum balbutire, homo egregie ſtolidus, id ſibi imitandum unice duxit, ac neglectis quæ tradebantur de Philoſophia præceptionibus, ſatis ſe Ariſtotelæum fore exiſtimavit, ſi balbus fieret. Quid multa? Per annos jam aliquot inter Peripateticos verſatus, domum venit promiſſa more Philoſophorum barba, totuſque ad balbutientis ſimilitudinem factus. Domeſtici veſte, ac barba Philoſophum interpretati, expectare primum cœperunt quid tandem præceptorum ferret a Lyceo: mox ubi illum trepidare identidem lingua, atque impedita oratione ſubſiſtere, eaque ſe quaſi nota Peripateticum venditare animadvertunt; nimirum alii ludere Philoſophi ingenium lepidiſſimi, riſuque emori; alii hominis amentiæ apud ſe miſereri, aut etiam ſtoliditatem ineptiſſimi capitis palam ſtomachari. Inter quos frater acerbius paulo commotus: Iſtuccine, inquit, eſt, ſapientum octave, quod ab Ariſtotele domum reportas, ut cum ad illum eloquens profectus ſis, elinguis ad nos, atque infans redieris, quodque tibi unum ſupererat hominis ſermonem, amiſeris?

Exilibus etiam cruribus, parviſque præditum fuiſſe oculis indicat hoc loco Laertius, cujus ori *μωκίαν* quandam, ſive *irridendi ſtudium* Ælianus, Rhodiginuſque addidere. Deformitas corporis cum ingenii turpitudine, levitateque certans in illo effecit, ut omni philoſophica gravitate rejecta, mollium puellarum ritu, nitido, ſumtuoſoque veſtitu, anulis, & coma delectaretur, eodem narratore Laertio: *ἐσθῆτί τε ἐπισήμῳ χρώμενος, ϗ δακτυλίοις, ϗ κυρᾷ*: *Veſte pretioſa, anu-*

liſque

liſque utebatur, tondebaturque.

Fuci iſti, & fœmineæ nugæ quamvis vel diſſimulare
quandoque, vel occulere corporis vitia valeant, inanem
tamen mentem, Philoſophi imprimis, detegere quam-
maxime conſueverunt. Hiſce ſtomachatus Plato, il-
lius non probabat vitam, neque corporis habitum, &
ornatum. Nam Ariſtoteles veſtibus, & calceamentis
magnificis utebatur, & contra Platonis morem *crines
abradebat*, anuliſque ferendis ſe exornabat, vultu ca-
villationem, & irriſionem quandam præferebat, &
intempeſtiva loquacitas in ſermone, ingenium ejus,
moreſque redarguebat. Hæc omnia Philoſopho indigna
manifeſtum eſt. Dicit teſtimonium hoc Ælianus, ex- 29
poſitore Juſto Vultejo.

Anulis fuiſſe uſum Stagiritam memorat Laertius;
Ælianus vero, ut mihi videtur, quod anulos multos
geſtans, in eo ſibi placuerit dicit, καὶ δακτυλίοις πολ-
λοῖς φορῶν, ἐκαλλύνετο ἐπὶ τούτῳ. Quoquo tamen modo
ſe res habet; apud veteres magis quam uno anulo uti,
infame habitum viris; multique etiam antiquorum 30
præ honeſtate anulum geſtare in digito abſtinuerunt.
Cæterum, quam a philoſophica ſeveritate abhorrens,
quanque apud veteres apertiſſimum levitatis fuerit in- 31
ditium plurium anulorum uſus, liquebit animadver-
tenti, Mevium eo nomine hiſce a Graccho amariſſime
inceſſitum: *Conſiderate, Quirites, ſiniſtram ejus, en
cujus auctoritatem ſequimini, qui propter mulierum cu-
piditatem, ut mulier eſt ornatus.*

Quæ paulo antea memoravi Laertii verba ſic lati-
ne ab Aldobrandino reddita, *veſte pretioſa, anuliſque
utebatur, tondebaturque*, ſedula annotatione digna
reputo; non quod oſtendam quantum temporis apud
grammaticum perdiderim (ut quadam epiſtola dicit

Seneca) ſed ad interpretandam aptius germanam hiſtorici mentem. Refert, ut dixi, Laertius, Ariſtotelem *κουρᾷ coma* uſum; Aldobrandinus vero Græcum id nomen, non alio Latino nomine, ſed verbo *tondebatur* convertit, oppido quam ambiguam ſic reddens lectionem; idque, ut arbitror, minime factum, ſi dicere ei placuiſſet, *veſte pretioſa*, *anulis*, *& COMA utebatur*. Etenim *Coma*, auctore Feſto, non eſt capillus quoquo modo tonſus, ſed potius cum cura compoſitus, ἀπὸ τοῦ κοσμεῖν, *ab ornando* dicta; & ſi propius ad rem acceſſeris, nihil *comati* habere *tonſum* invenies; Latinis nanque idem eſt *tonſus* ac ſi *capillo ſpoliatus* dixeris.

Iſaacus Caſaubonus illud κουρᾷ Laertianum, per verba *comam tondebat* Latinæ conſuetudini tradidit, Ælianum imitatus de Ariſtotele narrantem, quod κουρὰν δὲ ἐκείρετο. Juſtus tamen Vultejus Æliani expoſitor, iſtud ἐκείρετο Latinum fecit *abradebat*. Numne dici, aut fieri quicquam poterit magis perperam? Ecquis concipiat animo, troſſulum, ut ita dicam, Ariſtotelem, qui deditus corporis gaudiis, per luxum, & mollitiem ætatem agebat, ſevera, atque ad cutem uſque tonſura delectatum? quam male conveniſſent in unum ſumptuoſæ veſtes, decora calceamenta, digiti anulis onuſti, & capitis Stoica *abraſio*, quæ vel in luctu fieri ſolebat, quis non noverit? Nonne ita faciens, ſeſe veluti purpuratam ſimiam præbuiſſet popello irridendum Stagirites? Abradat igitur, abradat Vultejus e ſuo Æliano illatam, intruſamque *abraſionem* illam prius, quam a cinædi calamiſtrati Ariſtotelis capite capillitium gemina tonderi forſice conſuetum.

Quantum mea fert opinio, ut in Stagiritæ perſona coma, ſicuti par erat, cæteris reſpondiſſet, unus ex cincinnatulis ille profecto habendus, comatuliſque a Se-

neca

neca deſcriptis, quibus apud tonſorem multæ horæ 32
tranſmittuntur, dum decerpitur, ſi quid proxima nocte ſuccreverit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut disjecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc, atque illinc in frontem compellitur, ut comti, non honeſti appareant.

Ariſtotelem denique nobili delectatum coma relinquamus, attamen exquiſite illum adeo pexum a nobis, diligenterque carminatum, ut niſi Peripatetico amore omnino cœcatus homo non videat, ei ne pilum quidem boni viri reliquum. Sed, ut quaquaverſum nitor effulgeat comæ Ariſtotelis, non finiam, priuſquam illud memorem nationi Græcorum oraculi magis loco, quam in
proverbio habitum: Οὐδεὶς κομήτης, ὅςις ὐ ψηνίζεται. 33

PARTIS PRIMÆ

§. III.

LAERTII DIOGENIS VERBA.

FILIUM ex Erpyllide pellice, ut ait Timotheus, Nicomachum habuit.

COMMENTARIUS IN §. III.

DE hoc Ariſtotelis facto Athenæum quoque tertiodecimo Deipnoſophiſtarum libro, ex Hermippi teſtimonio, per verba iſta meminiſſe invenies: *Ariſtoteles Stagirites ex Herpylide ſcorto, cum quo ad mortem uſque interceſſit ei familiaritas, Nicomachum genuit,*

Digitized by Google

nuit, ut Hermippus ait lib.1. de Ariſtotelis vita; teſtamentoque ſuo, ut æquum fuit, curioſe illi proſpexit.

Præter hanc Herpylidem, quandoque Hermiæ eunuchi Atarneæ tyranni concubinam, Pythiada appellatam, impenſe adamaverat, qua ut citiſſime potiretur, ad ipſum perrexit Hermiam. Quumque exoletum ſuum eunuchum ad largitionem paratum, ut nonnulli ferunt, invenerit, voti jam compos, quibus gaudiis exultaret, quanta in voluptate baccharetur, brevibus narrare non eſt. Id tamen cum Pæan in donatoris laudem concinnatus, tum vero ſacrificium illud ab eodem Ariſtotele ſcorto oblatum, quod Athenienſes Eleuſinæ Cereri facere conſueverant, non obſcure demonſtrant. Scelera hæc, & flagitia tanta, animum, bilemque Eurymedontis Sacerdotis, vel Demophili non minime commorunt, & adeo, ut eum impietatis crimine accuſaverit, ipſe vero Athenienſium judicium antevertens ſtatuit, clam relictis Athenis, petere Chalcidem, & ita e medio ſe quam longiſſime amovere.

Hæc ſcortatoris perditiſſimi præclara geſta fuere; & tamen idem ipſe inverecundi animi homo, integram
1 hanc, ſanctamque tuliſſe legem non erubuit: *Coitus vero omnis alterius, quam conjugis, penitus ſit interdictus; quandoquidem ſit, & appelletur conjux. Quod ſi quis comprehendatur contra facere per tempus procreationis, dignam pro delicto pœnam reportet.* Stagirita? tu in labiis bonitatem, religionem, ſanctimoniam habes, in pectore vero nequitias foves, & quod pejus eſt, edoces factis. Quinam juſſis parituri tuis, quum iiſdem morem non gerendum exemplo tu doceas? Bonum eſt recta, & honeſta præcipere, ſed niſi & facias, mendacium eſt. Verſutiis hiſce, hiſce ſcholæ tuæ ſtomachatus technis Beatus Theodoretus Cyrenſis Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus nos commonefacit, quod *Peripatetici verbis quidem virtutem laudabant, re autem ipſa voluptati ſtudebant.* 2

Neque ei ſatis fuit meretrices ad ſua contubernia admoviſſe, verum & libidines de lupanari ad ſcholam tranſtulit: eo nanque petulantiæ, eoque impudentiæ pervenit, ut parentibus liberos ei commiſſos conſervare integros licitum non fuerit. Sceleſtum, ac nefarium facinus! nec propriæ, nec alienæ pudicitiæ parcens, illam uſque adeo proſtituit, quod diſcipulorum corpora, quorum mentes virtutibus imbuere debebat, præpoſtera venere polluerit. Verecundaretur equidem oratio mea, & nefandorum ejus geſtorum ſeriem tradere erubeſceret, niſi illius fœda crimina apud Græcos ſcriptores paſſim indicata legerentur: quamobrem diſpertitos quaſi racemos in unum colligens, uberrimam Ariſtotelicarum turpitudinum parabo vindemiam.

Stagiritam cum auditore ſuo Phaſelite ſe oblectaviſſe, narrat Athenæus. Aliorum quoque e ſchola ſua diſcipulorum nefario amore fuiſſe correptum, apud Suidam legitur: is nanque in verbo *Æſchrion* ſic habet: *Æſchrion Mitylenæus verſificator heroicus, comes itineris Alexandri filii Philippi, Ariſtotelis diſcipulus, & amaſius, ut Nicander Alexandrinus tradit in libro de diſcipulis Ariſtotelis.* Idem Suidas in verbo *Palephatus* id quoque annotat: *Palephatus Abidenus hiſtoricus edidit Cypriaca, Deliaca, Attica, & Arabica. Fuit ſub Alexandro Macedone amaſius Ariſtotelis philoſophi, ut Philon in litera* ει *de admirabili hiſtoria libro primo, & Theodorus Ilienſis in ſecundo Troicorum tradunt.* Hermiam illum eunuchum, cujus meretricem adamaſſe Stagiritam diximus, ei etiam in deliciis aliquando fuiſſe, auctor eſt Laertius noſter: *Quem*, Hermiam 3

miam, *nonnulli ajunt*, *ab eo*, Ariſtotele, *amatum* ſcribens. Sic tu inſtituis adoleſcentes, nefande? ob hanc cauſam tibi a parentibus pueri fuere commendati, & traditi? Nonne hujuſcemodi criminis maxime ejus pudebit?

Deteſtanda hac venere adeo delectatus idem eſt, ut ea ipſa ætate, qua e vivis deceſſit, pueros quoque habuerit in deliciis, quos teſtamento vetuit vendi, &
4 adultos honorifice dimitti liberos juſſit. Quid vis præterea? ut turpem libidinem uſu communi cohoneſtaret, illam militibus ſine injuria, ſine pœna permittere vi-
5 detur; propterea que eum acerrime reprehendit Beſſarion Cardinalis.

Id erat illius ingenium; & tamen homo ſine dubio callidus, in civitate, quam inſtitutis, & legibus informandam ſuſcepit, ac ſi eſſet totus ex modeſtia, & pudore factus, graviter in primis, ſevereque præcipit, ut verborum obſcœnitas, ſpurceque dicta in illa non audirentur, ne iis permoti cives, ac potiſſimum pueri, ad inhoneſta facta raperentur: audiamus, quæſo, aurea illa ſenſa, quibus talia docet: *Cum igitur univerſe*
6 *ſcriptor legum verborum obſcœnitatem ex civitate, ſi quid aliud, ejicere debeat, (ex eo enim quod aliquis quodcunque verbum turpe in buccam veniat, facile proloquatur, naſcitur proxime ut faciat) tum maxime a puerorum auribus, oculiſque removere, ne quid tale vel loquantur, vel audiant. Quod ſi quis comperiatur aliquem eorum, quæ legibus vetita ſunt, aut dicere, aut agere, iſque liber ſit quidem ille, ſed non dum dignus, qui in conviviis publicis interſit, habitus ſit, & ignominia afficiendus, & verberibus caſtigandus eſt. Sin ſit hac ætate ſuperior, ignominiis illiberalibus inurendus eſt, propterea quod ſervorum ſimilem moribus præbuerit.*

Quid

Quid eſt hoc Stagirita? tu pudicitiam imitatus, moderate, & ſancte obſcœna verba a puerorum auribus averruncare ſcriptis ſatagis, quando averſus, & adverſus impudicus, illorum aliquot factis perdis, cæteros exemplo corrumpis. Longe propterea de Chriſtianorum vicinia diſcede verſutiſſime, ut qui altera quidem doloſa manu aquam geſtes, altera vero ignem; teque apud illos verſari jubemus, qui ſimulant Curios, & bacchanalia vivunt, hypocritarum deteſtabilis doctor. Nec miror te plus in hoc negotio imitatorum vitæ, quam præcepti ſectatorum apud Grajos inveniſſe; etenim

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus . . .;

& quæ majorum exemplo fiunt, jure fieri putantur.

Id igne expiandum crimen, propter Ariſtotelem, adeo Lyceo adhæſit aliquando, ut lege veluti hæreditaria ad Græci Peripati ſucceſſores cum ipſa ſchola tranſierit. Exemplo ſit Theophraſtus primus Lycei hæres. Is (ut aliorum fortaſſe nomine magiſtrum talione repercuteret) ejuſdem Stagiritæ filio Nicomacho, ad præpoſterum concubitum nefarie uſus eſt. In verbo quidem Νικόμαχος, ſic loquitur Suidas: *Nicomachus Stagirita philoſophus, filius Ariſtotelis philoſophi, diſcipulus Theophraſti, & ut quidam ajunt, amaſius*. Et hoc in *Theophraſto* idem auctor conſtanter magis, firmiterque hiſce ſignificat verbis: *Theophraſtus Nicomachum Ariſtotelis filium in deliciis habuit*. Quod etiam ab Ariſtippo memoratum narrat 7
Laertius.

Nonnulli eruditionis non vulgaris viri, Ariſtotelem contumelioſe ſatis læſiſſe autumati ſunt, quum illum legis Cretenſium Regis approbatorem feciſſent, qua videlicet, ne longius juſto in Republica proles adaugere-

tur, deteſtanda maſcula venus licite permittebatur. At niſi firmiore fulcimento, quam verbis octavi capitis ſecundi voluminis Politicorum ii innitantur, ut faciunt, ficulneum certe baculum ſibi paravere. Quoniam menti meæ veritatis luce dulcius nihil unquam fuit; nemini quamobrem mirum fore judico, ſi nunc Stagiritæ propugnator appaream. Ergo illius verba in medium afferam,
8 ut ex eis immerens preſſus in hoc negotio idem appareat: πρὸς δὲ τὴν ὀλιγοσιτίαν, ὡς ὠφέλιμον πολλὰ πεφιλοσόφηκεν ὁ νομοθέτης, καὶ πρὸς τὴν διάζευξιν τῶν γυναικῶν, ἵνα μὴ πολυτεκνῶσι, τὴν πρὸς τὰς ἄρρενας ποιήσας ὁμιλίαν· περὶ ἧς εἰ φαύλως, ἢ μὴ φαύλως, ἕτερος ἔσται τοῦ διασκέψασθαι καιρός. i.e. *Ad cibi autem temperantiam, veluti perutilem, multa Legislator philoſophatus eſt, & de mulierum divortiis; ſiquidem ne ſuperfluam pariant multitudinem, cum maſculis induxit concubitum: quod recte ne, an ſecus, alius erit diſputandi locus.* Ex quo facile intellectum eſt, meri hiſtorici munus ab Ariſtotele nunc expletum, nihil penitus de ſuo addens, nihil auferens: idque magis, quum recte ne, an ſecus hoc a Minoe Legislatore fuerit conſtitutum, alio ſe loco diſputaturum polliceatur.

Verumenimvero qui hac in re Ariſtoteli perperam ſuccenſuere, excuſati fortaſſe habendi, quum nonnulli ejuſdem interpretes, ſectatoreſque, jactæ in magiſtrum nefariæ injuriæ ſtructores extiterint. Peripateticus, Ariſtoteliſque enarrator egregius Dionyſius Lambinus, Græca illa præceptoris verba in hunc ſenſum Latine vertens, quamplures dedit tanquam anſas ad reprehendendum Stagiritam. *Jam vero ad victus parſimoniam, cibique parvitatem, ut rem utilem, & ad fœminarum disjunctionem, ne nimis multos filios pariant, maſculorum conſuetudine introducta, (recte ne, an ſecus, alius*

erit diſputandi locus) *multa ſapienter* , *& accurate excogitavit Legiſlator* . Hæc eſt Lambini expoſitio. Ecquiſnam erit, qui Ariſtotelem ajentem interpretis ore audiat , Minoem in præpoſtero concubitu ſtatuendo, *ſapienter* , *& accurate excogitaviſſe* , illum deteſtabilis legis veluti ſubſcriptorem , approbatoremque non faciat? quando revera hæc unico tantum verbulo, πεφιλοσόφηκεν, *philoſophatus eſt*, prodiderit Stagirita; in quo ne approbationis quidem umbra , aut applauſus apparet veſtigium . Quis , inquam , eſt , aut quotuſquiſque, cui collato Ariſtotelis Græco verbo πεφιλοσόφηκεν Latinæ verſioni Lambini , *ſapienter* , *& accurate excogitaviſſe* , animus non ſuppetat ad libere pronuntiandum , hanc cum illo nullum habere commercium , atque juxta proverbium δὶς διὰ πασῶν inter ſe diſcrepare?

Alter Lycei alumnus, Leonardus nempe Aretinus, tam pro comperto habuit, Minois ſententiam ab Ariſtotele commendatam , ut ne magna apud orthodoxos opinio de magiſtro ſordeſceret , propriam fidem magis, quam illius decus pollui paſſus ſit . Quapropter in ſua verſione , verba illa reſonantia *maſculum inductum concubitum* , veluti præceptoris effatum ratus , Ariſtotelico ſermone reſciſſo , audacter nimis , temereque eadem e medio ſuſtulit . En expoſitionis ſuæ ipſiſſima verba: *Ad temperantiam autem cibi* , *quaſi utilis ſit* , *multa Legiſlator philoſophatus eſt* ; *& de mulierum divortiis*, *de earum congreſſione ad viros* , *ne ſuperfluam pariant multitudinem etiam proſpexit* . *Quod utrum prave* , *vel non prave conſtitutum ſit* , *aliud erit conſiderandi tempus* . Ne Batavo quidem dubium , vel obſcurum , Ariſtotelis verba illa , τὴν πρὸς τοὺς ἄρρενας ποιήσας ὁμιλίαν, *cum maſculis induxit concubitum* , Latio hoc loco tradita non fuiſse . O quam belle pulcreque dictum a Pe- 9.

Digitized by Google

trarcha, *triſtius fortaſſe Ariſtotelem ducere in Peripateticorum ore eſſe, quam in inferno.*

Attamen ſi ad Peripateticæ ſcholæ vetus inſtitutum animi aciem intendamus, perpetrata ab Aretino turpis reſciſſio, mira nequaquam apparebit. Lycei quidem ſectatores, in amplificanda ab ipſiſmet efficta præceptoris *pietate*, ac in illius deprehenſis, manifeſtiſque nequitiis obtegendis, cum conſilio, tum artibus quotidie enixi ſunt. Quis innumerabilia Stagiritæ ſenſa per Peripateticos vitiata, & corrupta, brevi narraturus oratione? Si locus id facile pateretur, tot, tantaque in medium afferrem exempla, ut potius quam illa, littoris arena dinumeranda. Eo certe artificio, nihil aliud eis cordi fuit, quam bonam Ariſtoteli famam comparandi, ne forte ii, quorum animus veræ religionis pietate devincitur, quemadmodum ab illius moribus, ſic & ab ejuſdem doctrina, ut par, equumque erat, abhorruiſſent. Non ſolum hoc, ſed ut inſcientem multitudinem allicerent, talia de Ariſtotele ſuo effutivere, ut niſi plane plumbei, nequiverint non erubeſcere.

10 Dictu inopinatum, atque mirabile! Agrippa, & Balæus ferunt, Colonienſes quoſdam Theologos fuiſſe aliquando auſos Stagiritam Cœlo donare, librum concinnantes *de ſalute Ariſtotelis*; ex quibus veluti anſam arripuiſſe reor id affirmandi, acriterque defendendi Sepulvedam, Lycetum, alioſque Ariſtotelis gregales. His non contenti iidem Colonienſes, in calce cujuſdam libri, cui titulum fecere, *de vita, & morte Ariſtotelis*, dixiſſe non ſunt verecundati: *Ariſtotelem ſic fuiſſe Chriſti præcurſorem in naturalibus, quemadmodum Joannes Baptiſta in gratuitis*. Horum inane conſilium tetigiſſe Eraſmum autumo eo loco, quo de valde diviti-
11 bus verba faciens ſcribit: *Atque in his eſt Ariſtoteles,*

ſan-

ſanctus ille philoſophus, & noſtratium Theologorum pene Deus.

Nonnulli e Peripato nonniſi per ſummam impudentiam aſſeruerunt, divini ſpiritus illapſu etiam inſtructum quandoque Ariſtotelem, Chriſti Redemptoris noſtri adventum præſenſiſſe, quum Homeri ſententiam ex
Odyſſea approbaverit, qua, non eſſe immortalibus 12
Diis indecorum hominis induere naturam, ut ab erroribus ſevocentur mortales, pronuntiatur.

Sed largiar quantumvis, & concedam hanc vobis inſaniam veſtram, Peripatetici, non eſt propterea quod lætitia geſtiatis; etenim laudatores hoſce ſuos, ſi ab inferis paulisper excitaretur, ægre laturus Stagirita, cujus firma, & conſtans opinio fuit, nihil habere divini vaticinationem, hominum eam inſania agitato-
rum quiddam potius eſſe reputans: *πολλοί δὲ καὶ διὰ τὸ* 13
ἐγγὺς εἶναι τοῦ νοεροῦ τόπου τὴν θερμότητα ταύτην νοσήμασιν ἁλίσκονται μανικοῖς, ἢ ἐνθουσιαστικοῖς, ὅθεν σίβυλλαι, καὶ βακχίδες, καὶ οἱ ἔνθεοι γίνονται πάντες, ὅταν μὴ νοσήματι γένωνται, ἀλλὰ φυσικῇ κράσει. Quæ Ariſtotelis verba ſic a Gaza in Latinam linguam fuere translata: *Multi etiam propterea, quod ille calor ſedi mentis in vicino eſt, morbis veſaniæ implicantur, aut inſtinctu lymphatico inferveſcunt, ex quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes qui divino ſpiraculo inſtigari creduntur; cum ſcilicet id non morbo, ſed naturali intemperie accidit.*
Et tamen a magiſtro Platone diſcere potuerat docente, 14
Prophetas, Sibyllas, Sacerdotes, alioſque, divino dono prædixiſſe futura. Hoc nequaquam arriſit Philoſopho a divinis abhorrenti.

Quiſquis tamen attenta animadverſione hæc Stagiritæ verba ſcrutabitur, quam ineptiſſime illorum extrema cum primis cohæreant, nullo pene negotio valebit

lebit percipere. Dicitur enim primum, quod quibus prope mentis ſedem bilis atræ ſervor ineſt, ii *morbis* vexentur *μανικοῖς, ἢ ἐνθυσιαστικοῖς*, quemadmodum Sibyllis, Bacchis, cæteriſque accidit, qui divino afflari ſpiritu creduntur. Dein vero ſubditur: *ὅταν μὴ νοσήματι γένωνται, ἀλλὰ φυσικῇ κράσει*: *Quoniam hæc non morbo, ſed naturali temperie eveniunt*. Id ſi ita eſt, abs te percontabor, Stagirita: quando tu *Maniam & Enthuſiaſmum* feceras *morbos*, qua ratione, quove argumento *φυσικῇ κράσει*, *naturali temperamento* eoſdem affectus in homines ingruere poſtea dicis? ſcilicet hac via inter ſeſe repugnantia, *morbus* inquam, & *naturalis temperies* bene convenient, eruntque unum, & idem.

Quis e Peripato, quamvis Ariſtotelis gloriæ propugnator, atque defenſor mirabilis, Herculeum hunc nodum ſine præceptoris dedecore, probabili aliqua ratiocinatione diſſolvet? nemo unus ex illo ſane faciet. Ego vero, ipſa urgente veritate, pro Ariſtotele arenam iterum repetens, reconditum hoc Lycei myſterium aperire non deſpero: interim dum meo propoſito brevibus favere verbis conabor, æquis animis adeſte vos veritatis puræ putæ cultores.

Quum vetuſtiores Chriſtiani Peripatetici a Stagirita ſtulte edoctum inveniſſent, ab Sybillis, & Prophetis atrabili percitis oracula prodita eſſe, a tanta ineptia magiſtrum (habent hunc morem Peripatetici) vindicare excogitarunt. O mores! Evidentia tamen facti fortaſſe perterriti; relictis ſophiſmatis, Peripati lauta ſupellex, illius manifeſtum ſcelus, verborum repugnantia callide obtegere commenti ſunt; quo quidem artificio, ita addiſcere volentium animos occuparent, ut pene ullus veritati patens relinqueretur aditus. Ad hoc explendum conſilium, proprio Ariſtotelis ſermoni, (ex animi

mei

mei ſententia) poſtrema illa verba de ſuo addidere, *ὅταν μὴ νοσήματι γένωνται, ἀλλὰ φυσικῇ κράσει, hæc non morbo evenire, ſed naturali temperamento*: qua facta acceſſione, num per inſaniam morbum, an vero per naturale temperamentum Sibyllas, Prophetaſque vaticinatos ab Ariſtotele dictum ambigi facile poſſit, noſci vero difficile.

Et quamvis augurer non defuturos, qui prima fronte ſtudia deſpiciant hæc mea, contemnantque; attamen non diffido brevi eoſdem, ab inexpugnabili probatione raptum, in eam me veniſſe ſententiam profeſſuros. Agedum, omni mora, quacunque cunctatione abjecta, argumenta proferamus, quæ huic noſtræ opinioni fidem, & firmamentum adjungant.

Hanc Stagiritæ hæreſim narraturus Romanæ eloquentiæ pater, ſic loquutus eſt: *Ariſtoteles quidem eos etiam, qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, cenſebat habere aliquid in animis præſagiens, atque divinum*. En jam quomodo nulla penitus facta *naturalis temperamenti* mentione, *valetudinis vitio* furentes *præſagiviſſe*, ex Ariſtotele apertiſſime referat Tullius. Eodem accedit, quod ſi in Ariſtotelis voluminibus exaratum inveniſſet Orator, homines *naturali temperie* vaticinari; o quantum ipſe aberraſſet a janua in redarguendo verbis hiſce Stagirita: *Ego vero haud ſcio, an nec cardiacis hoc* (nempe vaticinatio) *tribuendum, nec phreneticis: animi enim integri, non vitioſi corporis eſt divinatio*; corporis nanque vitium, neceſſario naturalem omnem rejicit diſpoſitionem, atque temperaturam.

Ergo quoniam ita ſe res habet, mera ſuſpicio, leviſque conjectura cenſenda non erit, quod Tullii ævo illud, *ὅταν μὴ νοσήματι γένωνται, ἀλλὰ φυσικῇ κράσει, quoniam hæc non morbo, ſed naturali temperie eveniunt*,

revera

revera in Ariſtotelis operibus, ut dixi, non legebatur; verum & id Græco codici a Peripateticis additum; ad occulenda propria ſenſa magiſtri. His non contentus tenebris Theodorus Gaza, novas voluit ipſe obſcuritates offundere, verba illa (qualia ea cunque ſint, vel a Peripateticis addita, vel Ariſtotelis propria) φυσικῇ κράσει, Latina fecit, *naturali intemperie*, (quemadmodum cuncta, quæ typis mandata vidimus exemplaria, conſtanter præbent) ac ſi Græce ſcriptum inveniſſet φυσικῇ δυσκρασίᾳ. Sed tempus jam eſt, ut unde huc digreſſa eſt, eodem redeat oratio, ad Ariſtotelem ſcilicet Prophetam.

Inverecunde effutita, & quæ ne audiri quidem ſine moleſtia poſſint! Stagirita Chriſti Domini præſagivit adventum? O rem dignam, in qua pronuntianda, non modo dicam docti, verum & bardi, agreſteſque erubeſcant. Quid eſt quod protuli? mihi ignoſce, amabo, ignoſce Ariſtoteles: in te, tuoſque peccavi, veniam peto; dehinc ocellus eris meus jucundiſſimus, meum mel, mea roſa, teque Vatem ſemper h.bebo, habebo Prophetam, & magis adhuc, magiſque, ſi ita libebit. In pœnam delicti, quantacunque ſint præconia mea, eximio quodam tuo vaticinio aures hominum, animoſque complebo; & ne horum expectationem videar morari, en Tullium ſic de te loquentem affero: *Ariſtote-*
16 *les veteres Philoſophos accuſans ait, eos aut ſtultiſſimos, aut glorioſiſſimos fuiſſe, qui exiſtimaſſent, Philoſophiam ſuis ingeniis eſſe perfectam: ſed ſe videre, quum paucis annis magna acceſſio facta eſſet, brevi tempore Philoſophiam plane abſolutam fore.*

O nobilem Vatem, qui omnium admirationem, & applauſum mereatur, dignumque, ut Comicum ajentem audiat:

Pue-

Digitized by Google

Pueri plaudite, & huic canthbaro mulſum date. Brevi tempore Philoſophiam plane abſolutam fore vaticinaris Ariſtoteles? accurate tamen, diligenterque cave Vates, ne decipiaris; Anaxagoras quippe pronuntiat, circumfuſa eſſe tenebris omnia; Empedocles, anguſtas admodum ſenſuum ſemitas autumat; Democritus vero, quaſi in puteo quodam ſic alto, ut fundus ſit nullus, veritatem jacere demerſam dicit.

Nec metuam quicquam, animoſe fortiterque ſubdis, & cavebo omnia; imo iterum, ſæpiuſque polliceor dicta. Belliſſime ſane Stagirita, perge reliqua, reddo quæ reſtant; & bene ſit tibi veluti homini fauſto Apolline nato, cui ſecretiora naturæ ſcrinia excutiendi ſit data poteſtas. Et vos modo nominati Philoſophi, cæterive, qui omnem ſapientiam deſperaſtis, imbecillum, remiſſumque extollite animum; tempus jam eſt oſcitans veſtrum acumen excutiendi. Expergeſcimini aliquando, exurgite, & accedite Democrite, ut de immenſo putei profundo, veritatem brevi extractam videas; Empedocles, ut per ampliſſimas ſenſuum ſemitas rheda, & quadrigis, ſi videatur, ſpatiari jam poſſis; denique Anaxagora, quô tenebris excuſſis, veritatis lumine aliquando fruaris.

Sed hei mihi, heu me infelicem, nequeo quin fleam: fatale eventum lugete & vos ſapientiæ amatores cuncti, occaſum divini viri deflentes; heu doleo. Propter metum judiii Athœnienſium, ipſe ſe Chalcidem recepit, ibique ſibi mortem conſcivit Stagirita ille venturi præſcius, unicuſque interpres naturæ. Ruere ipſe non potuit, eheu, quin ſine acceſſione, ſine complemento, manca quodammodo, & mutila non relinqueretur Sapientia.

Verumenimvero lacrymas ſiſtamus aliquando, eriga-

gamuſque animos triſtitia abjectos : quomodocumque ſe res habet, Ariſtotelem Vaticinatoris palmam reportaturum ſpero; nam ejus præcinctæ claſſis ſtrenui quidam duces, magiſtri ſemitas calcantes, inſcitia penitus debellata, *brevi tempore* Philoſophiæ negotium abſoluturi.

Peripatetica hæc phalanx (ut aliquos illorum mores, & conſilia tangam) unius prope formæ eſt & hominum, & armorum genere. Si de militibus quæratis; tam bellatores ſunt, ut vel cadendum acie, vel vincendum ſibi propoſuerint. Si de armis; qui clypei, quæ Herculeæ machæræ, percurram brevi: ſunt eæ nimirum Entitates; Quidditates; Hæcceitates; Conceptus; Relationes; Formalitates; Intentiones primæ, & ſecundæ, aliaque id genus innumerabilia. His addam murales machinas, teſtudines, arietes, & falces, quas ad muros ignorantiæ ope ſtructos quatiendos, diruendoſque excogitarunt, ut harum uſu putiſſima ipſa ſapientia in veſtrum conſpectum ſine ullo obſtaculo ſe poſſit offerre; quæ quidem iſtarum more artificioſe, ſolerterque digeſtæ ſunt. *Quod non perdidiſti, habes*; *Cornua autem non perdidiſti*; *Cornua ergo habes*: vel, *Mus ſyllaba eſt*; *mus vero caſeum rodit*; *ſyllaba igitur caſeum rodit*; quemadmodum & hæc alia; *Mus ſyllaba eſt*; *ſed ſyllaba caſeum non rodit*; *mus ergo caſeum non rodit*. Si vero deinde hæc arma non ſuppetant, vociferationes, & jurgia quoque jacient; & quum occaſio poſtulaverit, adverſariorum ora fædabunt unguibus, pugniſque contundent, adeo ſunt illi pugnaces. Nonne igitur firmiter nobis ſperandum erit, Machærophoros iſtos, eo armatu, hiſce machinamentis, de ignorantia victoriam reportaturos, & brevi tempore Philoſophiam plane abſolvendam eſſe? quemadmodum vaticinatus eſt Ariſtoteles.

De

De joco ſatis eſt. Cæterum ne quod ſic pauliſper luſerim, iraſcatur mihi aliquis rogo, ſuccenſeatque; etenim ait Plato, *ſumma ſcientia eſt philoſophari, ita ut hoc non videaris agere, & ludentem res ſerius conficere.* Repeto ſeria. Præterea, Stagirites, vaticinii tui inanem jactantiam, qua theſauros firmiter promittebas, qui deinde inventi ſunt carbones, ut dici ſolet. Amplius biſdena jam pertranſiere abs tua prædictione ſæcula, & adhuc naturæ ſcientia in tenebris deliteſcit. Quod igitur fuit illud tempus? quando eſt, aut a quibus abſoluta Philoſophia?

Tibi fortaſſe memoria intercidit, quod, *quemadmodum veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt*? At ſi ita, & auctorem ſententiæ quæras, ſtatim illum profecto invenies, ſi Plautinam noctuam perconteris, quæ *Tu Tu uſque dicet tibi*, & te hæc verba recognoſcere jubebit: *ὥσπερ γὰρ ϗ τὰ τῶν νυκτερίδων* 17
ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει μεθ' ἡμέραν οὕτω, ϗ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων. Quando igitur humani intellectus aciem adeo hebetem feceras: quare Philoſophiam *brevi tempore* abſolvendam ſperabas? An tibi forte ſuaſeras, *brevi* veſpertiliones in aquilas, mirabili metamorphoſi ſeſe convertendos? attamen tu vere veſpertilio, modo in muribus plane exiſtens, modo in volucribus, me tuis technis, verſutiiſque non capies. Quod enim fretum, quis Eurypus, tot motus, tantas, tamque varias habebit agitationes fluctuum, quantas tu repugnantias ſermonibus tuis commentus es? Singulis quibuſque moribus, & ingenio appoſita loquebaris, ut ſic ad te multitudinem contraheres, & hac quippe arte, ſicut aliquem de Cœlo lapſum, te intuebantur recentiores Græci, Arabes, atque Latini, religio-

gione, moribuſque inter ſe abunde diſtantes.

Attamen dum ſtudes placere omnibus, tecum ipſe
diſſides, & in ora doctorum pro ludibrio abis. Hinc na-
tum, ut verſutiis hiſce tuis detectis, Lyceum pene ab-
ſoleverit, & ſi qui tui juris, ditioniſque ſint reliqui,
triſtes iſti, ſubmiſſive repetant paſſim, *Fuimus Troes*:
dum vero deſertas illas, abjectaſque intueantur ſcholas,
ad quas maxima addiſcentium multitudo, tanquam ad
ſapientiæ aram catervatim aliquando confluxerat, ge-
mebundi exclament: *En campos ubi Troja fuit*! Ah, ah:

Urbs antiqua ruit multos dominata per annos.

Quam multis coargui hæc Peripateticorum vanitas po-
teſt? ſed quoniam legentium animos hac Lycei inſania
completos reor, abeat Stagirites Propheta, quem ego
non divino inſtinctum ſpiritu cum ejuſdem gregalibus,
18 ſed *Hæreſiarcham* potius cum Beato Antonino reputo.

Omitto, inquam, Vatem, & de reliquis Lycei
veſaniis dicam. Eo petulantiæ a Peripateticis deven-
tum legimus, ut illorum aliqui Ariſtotelis decreta San-
ctis Evangeliis paria facientes, eundem habuerint pro
Chriſto; de qua ſingulari, & incredibili re locupletem
adhibeo teſtem Melchiorem Canum Epiſcopum Cana-
19 rienſem, teſtimonium hoc dicentem: *Illos etiam da-
mnant*(Sancti Patres)*qui philoſophiam Evangeliis præ-
ferunt, quibus Averrois Paulus eſt, Alexander Aphro-
diſæus Petrus, Ariſtoteles Chriſtus, Plato non divinus,
ſed Deus. Cujuſmodi nos ipſi, præſertim in Italia, vi-
dimus multos, qui Scriptura Sacra neglecta, ad horum
Philoſophorum doctrinas, tanquam ad Sirenum ſcopu-
los adhærebant.*

Stultitiæ tantæ impatiens ſolertiſſimus Joannes
20 Franciſcus Picus Mirandulæ dominus, non potuit quin
exclamaret, *Negabunt ne mihi Chriſtiani homines, &*
fra-

Digitized by Google

fratres unius religionis veræ participes id petenti, quod Ariſtoteli alienigenæ, & prophanis Gentium ſuperſtitionibus mancipato, gratis, nulloque intercedente conceſſerunt? Non potuit quidam Idololatra ferre Græcam urbem inter Quirites, non potuit tolerare deliramenta Aegyptiæ terræ tam longe ſitæ; feram ego Chriſtianus homo inter Chriſtianos, ipſis ſub oculis, & propalam, Chriſti Evangelio vel præferri, vel æquari Ariſtotelica volumina? Adeo exculta, æſtimata adeo, ut non difficulter aliquem reperias ex ſuperbis literarum cultoribus, qui Ariſtotelicum ſe potius, quam Chriſtianum dici non ambiat; eam enim docti, & inſignis viri, hanc rudis, & plebei nomenclaturam autumant, adeo rudes, & veræ prorſus rationis egeni ſunt; inde hallucinati, quod certa omnia apud Ariſtotelem, firma omnia, & inconcuſſa putent ſic, ut nihil certius, nihil veritate fultum magis poſſit inveniri. Idemque Picus acriter propterea indignatus, calamum arripiens, *Examinis vanitatis doctrinæ Gentium* libris, Ariſtoteli, non ſine ſaponis acrimonia, caput lavit, ſuæque tempeſtatis Peripateticos tam bene depexit, tamque accurate carminavit, ut, ſi extarent, meminerint ſemper ejus.

Narrat Cornelius a Lapide, quod quidam exquiſiti ingenii Italus, admiratus illas perceptiones de Ethicis, Politicis, Oeconomicis, quas ſcripſit Ariſtoteles puras, integras, & nulla externi erroris infectas labecula, ſemper in omni ſermone dubitarit, in illis ſcribendis, pluſne habuerit Juriſconſulti, an Sacerdotis; plus Sacerdotis, an Prophetæ; plus Prophetæ, an Dei. Et cum Divo Ambroſio mirari non deſinit Jeſuita Cabeus, *Chriſtianos Philoſophos ſibi magis religioni ducere recedere ab Ariſtotele, quam a Moyſe, velleque (quod Sanctus ille vir ferre non poterat) Ariſtotelis verba regu-* 21 22

lam

lam eſſe ad interpretandam Sacram Scripturam, & dum
Ariſtoteles gratis omnino , nulla addita probatione ,
aut experientia aliqua pronuntiat , ſumunt ipſi hæc di-
cta pro regula infallibili , cui accomodari debeant dicta
Scripturæ , & quidquid ſonent Sacra verba , trahi de-
beant ad ſenſum , & doctrinam Ariſtotelis ; & tamen
vellent Chriſtiani videri , cum , ut Peripatetici ſint ,
Chriſtianis regulis credendi renuntient . Adverſus hu-
jusmodi deteſtandum Peripateticorum morem , non ſine
23 ſtomacho , inſurrexit Salmeron & ipſe Jeſuita : *Certe ,*
ut verum fatear (exclamans) *ſatis patienti animo fer-*
re nequeo , cum video quoſdam adeo ſuperſtitioſe , ac
mordicus tueri Ariſtotelis dogmata , ut malint multos
textus Scripturæ violentis gloſſis , & ſenſibus torquere ,
quam in unum impingere Ariſtotelem . Et hoc , dicite ,
non erit loco Dei habere Ariſtotelem ?

In hujus (ut ſic dicam) deitatis reverentiam non-
24 nulli voluntarii ſe quoque Martyres obtulere . Apud Pe-
trum Gaſſendum legimus , quendam ſibi notum Peripa-
teticum aſſerere conſueviſſe , exiſtimare ſe magnum iri
Deo præſtitum obſequium, ſi proprio ſanguine obſignaſ-
ſet , confirmaſſetque , veriſſima eſſe quæcunque Ariſto-
telis operibus continentur . Quid ? Nonne univerſa illa
Peripateticorum ſchola eidem falſo numini quotidie ,
paſſimque immolabat , illius aræ proprii ingenii faſces
ſubmittens ? Forſitan non extrema ſacrificatio erit ,
quando mentis ſuæ arbitrio , acieque mancipata , quaſi
furibunda , & mente lapſa , apertis , ut ajunt , tibiis
25 exclamabat , *malle ſe cum Ariſtotele errare , quam*
cum aliis bene ſentire ? Adeo verum eſt hoc , ut ex Pe-
26 ripateticis illis aliqui proferre ſint auſi : Etiamſi ex
Catholica fide immortalis animus ſit , ſecundum tamen
Ariſtotelem , firmiſſimis rationibus mortalem defende-
mus .

Digitized by Google

mus. Et licet Chriſtiana Religio, Platonicique ipſi cognoverint eſſe Dæmones, nos tamen ſecundum Ariſtotelem non cognoſcimus; & hujus generis alia, quæ luxuriantia ingenia pepererunt.

Rati deinde Lycei alumni ægre popello improbi, ſceleſtique Ariſtotelis æternam ſalutem ſuaſuri, niſi prius proprium delictorum ille a Deo veniam imploraviſſet, commenti ſunt, eundem, ingruente letho, exun-
dantibus lacrimis dixiſſe: *Fœde hunc mundum intravi*, 27
anxius vixi, *perturbatus egredior*, *Cauſa cauſarum miſerere mei*.

Quibus verbis tanta hæc deliramenta proſequar, & convellam non invenio; deficit nanque oratio, quum officium linguæ vincat ineptiæ magnitudo: attamen conabor dicere, quoniam audaciam hanc veſtram, fabellæ hujus ſtructores, confutare fas habeo: Quinam, dicite, Stagiritæ interitus ſpectatores, & teſtes talia vobis e Chalcide αὐθεντικῶς nuntiavere? aut illos fortaſſe ex veterum monumentis excitabitis, ut de hoc ægrotantium ſomnio teſtimonium dicant? Niſi tamen ſit, quod animam inter diſcrimina dentium efflante Ariſtotele, vobis, albæ gallinæ filiis, audiſſe quoque datum Cœlicolas Virgines, *Veni*, *veni in Cœlum*, *veni* modulantes, quemadmodum in Apollonii illius Tyanei malefici incantatoris morte auditas refert Philoſtratus Græcorum omnium mendaciſſimus. Vobiſne memoria exci-
dit, quod Coryphæus veſter *Deum nec curavit*, *nec* 28
coluit? quomodo pœnitentia duci potuit is, qui illam
incontinentiæ ſpeciem fecit, & pro vitio habuit? en
addam illius verba: ἀκολουθεῖ δὲ τῇ ἀκρασίᾳ μαλακία, 29
καὶ μεταμέλεια, καὶ τὰ πλεῖστα ταῦτα ἃ, καὶ τῇ ἀκολασίᾳ,
quæ ſic exponit Alexander Camillardus: *Eſt autem comes incontinentiæ mollities*, *& pœnitentia*, *& plu-*

ra

ra ejuſmodi, quæ intemperantiam comitantur.

Sed quid ego argumentor? quid plura diſputo, & perquiro? Adeſtote mecum una, erigite mentes, amabo, & intuemini Ariſtotelem animam agentem, arctiſſimis Herpylidis lutulentæ meretricis alligatum amplexibus, atque jacentem in lacrymis, legem hanc in ſuo
30 teſtamento rogantem: *ἐπιμελεῖσθαι δὲ τοὺς ἐπιτρόπους, καὶ Νικάνορα μνησθέντας ἐμοῦ, καὶ Ἑρπυλίδος, ὅτι σπουδαία περὶ ἐμὲ ἐγένετο; Tutores, & Nicanor ſic curanto, ut mei, & Herpylidis meminerint, quoniam bene de me merita eſt.*

Nunc a vobis unum quæro, Ariſtotelis laudatores: qualiſnam Deus fuerit illi, cui hæc licita ad uſque ulti-
31 mum vitæ ſpiritum? Qualis? Si ab eodem ipſo ſciſcitabimur Ariſtotele: *Qui prava agere poſſit*, reſponde-
32 bit; *δύναται μὲν γὰρ καὶ ὁ Θεός. καὶ ὁ σπουδαῖος τὰ φαῦλα δρᾶν*: Quis? *Animal quoddam*, dicet, *ζῶον*. Quis? *Cui neque vitium eſt, neque virtus, quemadmodum feræ*
33 *alicui; καὶ γὰρ ὥσπερ οὐδὲ θηρίου ἐστὶ κακία, οὐδ' ἀρετή, οὕτως οὐδὲ Θεοῦ.*

Is ergo Deus ille eſt; a quo ſuorum miſericordiam imploravit delictorum Stagirita, & in cujus gloria ſempiternum ipſe traducet ævum? O terque, quaterque beatum Ariſtotelem! verum non invidenda, neque expetenda beatitas. Quam bene de illo ſcripſit Sanctus Cle-
34 mens Alexandrinus, quod *nihil de eo Patre, qui eſt ſupremus intellexit*. Alio loco hoc cujuſmodi ſit fuſe, lateque conſiderabimus.

Dicat in præcordiis ſuis inſipiens aliquis. Ariſtoteles in Cœlo eſt, Propheta eſt, veluti Deus eſt; hæc creduntur ſtultiſſime, & ſunt futilitatis referta; ſed hujuſmodi tolerabilia erunt: at ore, ſcriptoque talia palam docere, periculi plena, & non ferenda res eſt;

ru-

rudis, inexercitatuſque juvenis, audito proprio magiſtro, ut religioſum, & ſanctulum extollente Ariſtotelem: nonne quodcunque illius effatum, is veluti cęcus, ſine animadverſione, abſque delectu amplexabitur, & in maximos tandem errores facillime incidere poterit? Hæc præpoſtera de Ariſtotele pro vero recepta opinio, non paucos a Fide ſemovit. Exemplo ſit, inter cęteros Peripateticus Antonius Mirandula, qui pro Ariſtotele 35
ſuo, omnia Chriſti dogmata, & miracula obfirmato plane animo, obſtinateque negavit.

Lethale virus hoc, ut a Societate, quam inſtituit homo ille Dei, Beatus Ignatius Loyola, longe repelleret, bonum licet librum, ſuſpecti tamen auctoris, ab illius Sociis prorſus vetuit legi; *Nanque* (ajebat Sanctus 36
vir, & prudens) *dum mali auctoris bonus liber legitur, primo quidem placet ipſe liber, paulatim deinde qui librum ſcripſit: qui quidem probatus, blande in animos teneros, atque molles influit, & lectoribus jam benevolis, ſuique amantibus, doctrinam ſuam facile perſuadet, ut quidquid ſcriptum ab illo ſit, id etiam verum judicetur. Ita quod infectum veneno eſt, id longiſſime etiam ſerpit, & dum principiis caute non obſiſtitur, ægre vitantur extrema.*

Cavete igitur tyrones Sapientiæ ſtudio intenti, cavete blandas voces iſtas, ab eiſque tanquam a Sirenum inſidioſis cantionibus aures, animumque avertite, ne fortaſſe earum dulcedine ſoporati, in errorum oceano mergamini: turpis nanque, inſanaque vetuſtioris Lycei jactantia fuit, Ariſtotelem vel ætatem degiſſe laudabilem, aut extitiſſe Prophetam, vel in Cœlo æterna beatitudine frui; ſed illum potius tanquam infidelem, & impium apud inferos contremiſcere a nobis firmiter cum Auguſtino credendum. Et vos (ſi qui ſint reliqui) 37

Digitized by Google

Lyceo nimium addicti, expergiſcimini aliquando, atque immoderatæ libidini Ariſtotelis collaudandi finem imponite; eundemque Divum Auguſtinum ſequimini re-
38 tractantem, quod Philoſophos non vera pietate prædi-
tos, dixerit virtutis luce fulſiſſe.

Nonnullorum e Peripato inſolentia effecit, ut in hæc, ſi non præter rem, longiuſcula tamen oratione diverterim. Et quoniam Paragraphi hujus modum facere decrevi; ne exordium videatur principio abſimile, de pędicone, atque ſcortatorum perditiſſimo, quid pro coronide proferam? Paginam breviter, & commode ſuo hoc in Stagiritam Emblemate compleat Beatus Antoninus
39 Florentiæ Antiſtes: *Vereor hic Ariſtotelem in aſellum mutatum ſubdere fœminæ, & ſarcinulam talem portare.*

PARTIS PRIMÆ

§. IV.

LAERTII DIOGENIS VERBA.

A PLATONE autem adhuc vivo defecit; quo circa illum dixiſſe ferunt: *Ariſtoteles in nos calcitravit, ut equorum pulli in matrem nati ſolent.*

COMMENTARIUS IN §. IV.

QUum Athenas, oraculo Pythio ſuaſore, ut dixi, ad philoſophandum ſe contuliſſet Stagirita, viginti annorum ſpatio Platonem audivit; ipſe vero ſapientia quandoque poſthabita, vitiorum illecebras

bras amplexus eſt ; ex caro quamobrem, acceptoque, in-
ſenſus evaſit magiſtro. Cælius Rhodiginus, præter cæte-
ros , antiquorum innixus auctoritati, hanc Ariſtotelis le- 1
vitatem non diſſimulavit: *Odium* (ait)*quod ex æmulatio-
ne avidiſſimum eſt*, *literarum*, *& gloriæ ratione exortum
poſſet videri*; *ſed a Græcis proditum ſecus animadverto*,
qui Platoni offenſiorem factum Ariſtotelem volunt , *quod
ejus vitæ inſtituto oblectaretur minus* . Se igitur totum
a Stagirita alienavit Plato , illumque deſpiciens , Xe-
nocratem , Speuſippum , Amiclam , alioſque e propria
ſchola extuliſſe fertur , quos cum honoribus proſeque-
batur , tum diſputationum quoque reconditarum parti- 2
cipes faciebat .

Iracundia propterea inflammatus nequam diſcipu-
lus , ac veluti in fermento , ut dicunt , jacens , adver-
ſus doctiſſimum virum , audacter nimis bella perennia
parat . Inter alia , cum quodam tempore Xenocrates in
patriam iter ſuſcepiſſet , Ariſtoteles cum ſuorum diſci- 3
pulorum caterva, inter quos erat Mnaphon Phocenſis, &
alii , Platonem impugnabat de induſtria . Laborabat
tunc ex morbo Speuſippus , quamobrem Platoni adeſſe
non poterat . Plato octogeſimum annum agebat , itaut
jam propter ætatem deſtitueretur memoriæ viribus . In-
tendens igitur in eum , & adoriens ex inſidiis Ariſtote-
les , magnaque cum ambitione quæſtiones nectens , ac
ſophiſtice eum redarguens , injurium ſimul , & ingra-
tum ſe præbebat . Proinde deſiſtens exteriore deambu-
latione , domum cum familiaribus privatim ibat . Exa-
ctis tribus menſibus , Xenocrates a peregrinatione re-
verſus , invenit Ariſtotelem deambulantem , & docen-
tem , ubi reliquerat , abiens , Platonem . Videns au-
tem cum familiaribus ſuis, non ad Platonem commeare,
ſed alio in civitatem ſeorſum ex auditorio veſtigia ferre,

interrogabat quendam in Peripato, ubinam eſſet Plato, exiſtimans eum decumbere; at ille reſpondit: non male habet, ſed Ariſtoteles ei moleſtiam faceſſens effecit, ut e Peripato diſceſſiſſet, & in horto domi philoſophiam tractet. His auditis Xenocrates, repente ſe ad Platonem contulit, & offendit eum diſſerentem cum his, qui ſimul aderant. Erant autem frequentiſſimi, & ſummæ exiſtimationis viri, & adoleſcentes aliqui illuſtriſſimæ famæ. Qui cum loquendi finem feciſſet, perhumaniter, pro more ſolito, Xenocratem ſalutavit, rurſumque illum ſimiliter Xenocrates; deinde converſatione dimiſſa, Xenocrates nullum verbum hac de re cum Platone locutus, neque audiens, collectis ſuis commilitonibus, vehementer objurgavit Speuſippum, quod Ariſtoteli ceſſiſſet ex Peripato, & ipſe quam potuit inſtructiſſimis viribus contra Ariſtotelem pugnavit, eoque contentionis progreſſus eſt, ut eum ejiceret, & in conſuetum locum Platonem reſtitueret. Hactenus Aelianus, interprete Juſto Vultejo.

O præclarum facinus, & Ariſtotele dignum! o ſuperbientis diſcipuli inverecundam temeritatem! Quoniam de turpi vita tua moneris a præceptore, ſanćteque objurgaris, Stagirita, ideo tu adverſus virum totius Græciæ ſapientiſſimum, & Philoſophorum Deum, (utor Tullii verbis) feros mores, immanemque naturam adeo exacuis, ut illum jam ſenio confectum, e propria ſede audeas exturbare? In cujuſnam pectus tantam ſævitiam cecidiſſe inventum? Tu ſolus, male feriatus homo ab oculis addiſcentium, magnum doctorem tollere ſatagis, quoniam illius præclara virtus, in tui cedit opprobrium, Sed rumpantur licet ilia tibi, de immortali ejuſdem gloria, ne pilum quidem detrahere malis artibus tuis valebis. Qualis propterea extiteris, tu proprio ore tuo fate-

ſateris, hæc Heſiodi carmina laudans: 4

> Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
> Ὃς δέ κε μήθ' αὐτῷ νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
> Ἐν θυμῷ βάλληται, ὅδ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.
> *Eſt bonus ille etiam, qui paret recta monenti.*
> *Atqui mentis inops aliorum audire recuſat*
> *Conſilia, hic malus eſt, telluris inutile pondus.*

Acerbum odium, quod in Platonem jam inveteratum habebat ſaturare cupiens Stagirita, tragico illo Oreſte, aut Athamante dementior effectus, Philoſophiæ ludum, adhuc illo vitam vivente, aperire machinatur; 5 ut odioſi magiſtri dogmata commodius oppugnare, evertereque videretur. O non tolerandam audaciam!

Tanti criminis ab antiquioribus merito inſimulatum Ariſtotelem, ut inſontem oſtendat Ammonius, nervos, artuſque omnes pro viribus intendit illa magiſtri Vita, brevibus ab eo adumbrata, quam adeo futilibus infarcivit ineptiis, ut qui magis effutierit unquam; cujus verba ad noſtram rem pertinentia ſunt iſta: Οὐ γὰρ ἔτι ζῶντος τοῦ Πλάτωνος ἀντῳκοδόμησεν αὐτῷ τὸ Λύκειον ὁ Ἀριστοτέλης, ὥς τινες ὑπολαμβάνουσι· πῶς γὰρ ἐδύνατο; μέγα τόδε δυναμένων Χαβρίου τε καὶ Τιμοθέου τῶν Ἀθήνησι στρατηγῶν, καὶ τῷ γένει προσηκόντων τῷ Πλάτωνι: *Falſum eſt autem, quod quidam putant, Ariſtotelem, vivente adhuc Platone, Scholæ ejus contrariam in Lyceo Scholam inſtituiſſe. Qui enim fieri potuit? Cum quidem eo tempore gratia, & authoritate plurimum apud Athenienſes valerent Chabrias, & Timotheus, qui e Ducibus Athenienſium, & Platonis cognatis fuerunt.*

Frigida quidem, ac jejuna excuſatio. Quod Chabrias, & Timotheus Platonis propinqui, gratia, & auctoritate apud Athenienſes valuerint, ideo nequiſſimum Ariſtotelem deſiiſſe calumniis autumandum? Excel-

cellentioremne, poteſtateque longe ſuperiorem iis exi-
ſtimabimus Macedonem Alexandrum? Quantum hic
anteceſſerit illos, non ſatis dici, ne vix quidem cogi-
tari poteſt; & tamen nihilominus Philoſophus iſte egre-
gie homo improbus, immani vecordia eum veneno ag-
greſſus interfecit. Ammonius vero vult modo, quod
Chabriæ, & Timothei auctoritas, ab injuria facienda
Platoni deterruerit Stagiritam: ſed audiat Sanctum
Theodoretum Cyrenſem Epiſcopum non ſpernendum
6 teſtem ſic ajentem: *Ariſtoteles autem Platoni adhuc vi-
venti manifeſte adverſatus eſt, bellumque contra Aca-
demiam ſuſcepit, neque doctrinæ illi honorem habuit,
quam cupidiſſime perceperat, neque celeberrimi viri glo-
riam eſt reveritus, neque Platonicæ eloquentiæ vim per-
timuit, ſed libenter illi adverſarium ſe præbuit, cum
haud ſane meliorum, ſed multo pejorum dogmatum au-
thor extiterit.* Cujus quoque petulantiam aperte ſatis
7 indicat Diuus Cyrillus Alexandrinus eo loco, quo de
Platonis diſcipulis verba facit: *quos inter* (ſcribens)
*unus erat altiſſimi ſupercilii, & nimium quam arro-
gans Ariſtoteles.*

Mirandum equidem, & incredibile prorſus, niſi ab
ipſis Græciæ ſcriptoribus conſtanter fuiſſet narratum.
Crudeliter ingrato, beneficiorumque immemori diſci-
pulo, quibuſnam maledictis, quibus obſtrepuit unquam
atrocibus verbis laceſſitus magiſter? Uſus fortaſſe ali-
quando Chabriæ, & Timothei auctoritate ad coercen-
dam, reprimendamque Ariſtotelis inſolentiam? nihil
profecto minus; ſed e propria ab eodem expulſus ſcho-
la, cum redeunte Xenocrate, de eo negotio ne verbu-
lum quidem protulit, contentus ſedate, placideque
cum amicis quandoque tantum dixiſſe: *Α'ριστοτέλης ἡμᾶς
ἀπελάκτισε, καθάπερ τὰ πωλάρια γεννηθέντα τὴν μητέρα:*
Ari-

Digitized by Google

Ariſtoteles in nos recalcitavit, ut equorum pulli in matrem nati ſolent.

Moderatum hoc ſatis,honeſtumque Platonis dictum, fuſe lateque idem exponit Ælianus, cujus verba Latinitate donata hic apponere non dubito: *Plato nominare ſolebat Ariſtotelem Mulum. Quid autem hoc ſibi nomen* 8
voluerit, ex eo liquet, quod mulus cum ſaturatus eſt lacte materno, calcibus petit matrem. Significabat igitur Plato involuto quodam ſermone ingratitudinem Ariſtotelis. Etenim is cum maxima Philoſophiæ ſemina ac acceſſus a Platone accepiſſet, ſuffartus optimis quibuſque, adverſatus, ſcholam contra Platonem aperuit, & in Peripato cum ſuis familiaribus, & diſcipulis adverſus eum pugnavit, & Platonis adverſarius eſſe cupiebat. Præcordia ſapientis ſenis Socratica æquabilitate ſane, manſuerudineque referta! Ecquis tam durus, & ferreus, quis tam inhumanus, præter unum Ariſtotelem, qui non tanta modeſtia, & animi temperantia moveretur? Solum diſcipulus iſte adeo fero, immanique pectore inventus eſt, ut poſt hæc, etiam proxime mori- 9
turo magiſtro, præ pervicacia adeſſe recuſaverit.

Quo poſito, & omnium conſenſu approbato, neſcio qua fronte Ammonius ille, de quo ſupra mentionem feci, audeat dicere: *Amorem quidem ſuum in Platonem abunde teſtatus eſt Ariſtoteles, quando etiam Aram ei dedicaverit cum hac inſcriptione:*

Βωμὸν Ἀριστοτέλης ἐνιδρύσατο τόνδε Πλάτωνος,
Ἀνδρὸς ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.

Gratus Ariſtoteles ſtruit hocce Altare Platoni,
Quem turbæ injuſtæ vel celebrare nefas.

Sit ſane ut dicit: cur antiquorum nomina, & Codices, e quibus talia excerpſerat, in medium non affert Ammonius, ut facti veritas in omnium conſpectum facile

cile illuceſcat? Huic tamen meæ objectioni belle ſatisfaciet Tullius: *Græci*, inquiens, *nunquam laborant quemadmodum probent quod dicant*. In Ariſtotelis igitur obſequium Ammonio fides adhibenda, quoniam αὐτὸς ἔφα? ergo inter Pythagoræ gregales me aſcribam? apage hoc; ideoque rem ad trutinam revocare aggrediar.

Si Peripati figmentum iſtud veritatis quicquam in ſe contineret, aut in monumentis Græcæ hiſtoriæ ſcriptum inveniretur, Ariſtocles ille Peripateticus, qui omni ſtudio, totoque conatu jacta ab antiquis in Ariſtotelem tela, antevertere, aut leviora, hebetioraque reddere laboravit, tantum, tamve eximium amoris, & Ariſtotelicæ in Platonem benevolentiæ ſpecimen gloriabundus profecto in medium attuliſſet. Et tamen ipſe idem
10 Ariſtocles, inopia patroni, Ariſtotelem ſuum in hoc negotio indefenſum deſerit, ingratum illius erga Platonem animum, velit nolit, apertiſſime oſtendens: *Alia igitur omnia manifeſte falſa ſunt*, (ait) *præter duo hæc, quæ videntur probabilia, ob quæ vituperant eum aliqui. Unum quidem, quod Hermiæ quaſi adulans, ſororem ejus, quod attinet naturam, filium autem adoptivam* (melius dixiſſet Meretricem) *Pythiadam, in uxorem ſibi duxerit . . . . Alterum vero, quod ingratus fuerit Platoni*..

Præterea, aniles haſce ineptias longe pellendas, dilucide id ipſum indicat Diſtichon, quum in eo legatur, Stagiritam extruxiſſe βωμὸν Platoni; quando eo vocabulo indicare voluiſſe Grajos accepimus *Aram*, ſive locum Numini alicui ſacrum, in quo Gens ipſa orabat, victimas adolebat Idolis, cæteraque his ſimilia obibat munia. O meras nugas, o futilia commenta, & inania. A quonam data fuerat Ariſtoteli tanta poteſtas? Numina videlicet proprio arbitratu effingendi, eademque

in

Digitized by Google

in *Aris* publico exponendi cultui. Qui fieri facile potuit, ut Græci novos Deos ab illo libenter in *Aris* colendos acciperent, quem unum ex eis habebant, quibus *nec ara*, *neque fides eſt*, ut in proverbio? Idque magis, quod Athenienſes diligenter adeo, & religioſe ad Deorum cultum pertinentia inſpectaverint, ut Damadi magnum Alexandrum Olympicis aſcribendum in concione 11
proponenti, centum talentorum mulctam irrogaverint.

Marſilius vero Ficinus, inter recentiores Platonis aſſeclas non ſane ignobilis, Aram quamvis & ipſe Coryphæo ſuo ſtructam exoptaverit, ut inſcitiam a nobis Ammonio objectam (quod autumo) declinaret, Aram ab pio diſcipulo benemerenti magiſtro in Templo aliquo poſitam effinxit, ſed ut aliquid in illius decus addidiſſe videretur, Platonis ſtatuam, Ariſtotelis licet nomine, ipſe de ſuo appoſuit Aræ: *Ariſtoteles in Templo Aram Platoni, ſtatuamque ſacravit*, ſcribens. Verum- 12
enimvero Ficinus fumum fugiens, in ignem incidit; quippe ubi ubi fuerit Ara, inibi Deitas, ut ita dicam, aliqua cultui apud Gentes, ac venerationi erat. Ex eo Aram aliqui dictam volunt, quod incenſæ in ea victimæ ardeant: alii vero a precationibus Aram appellavere. 13
Adeo lubrica, Ficine, eſt, adeo inconſtans commentitiæ vanitatis natura, ut quo in ea cunque pedem poſueris, fore ut labes.

Ammonium tamen non miror Peripateticum; non miror & Platonicum Ficinum; Petrum tamen Crinitum, ſane quidem ingenio hominem eleganti, & haud quaquam rerum, literarumque veterum indoctum, omnino demiror, qui Lycei fabellæ fidem adhibens, tanquam hujus revera pulcherrimi facti auctorem commendat hiſce carminibus Ariſtotelem:

Hæc eſt illa Ara floribus redimita ſuaveolentibus, 14

Digitized by Google

Quam Grajus benemerenti ſtatuit diſcipulus ſeni,
Tituloq; hoc teſtatus animum ſuum, atque officium,
Platonem probandum probe a probis.

Sed non videt quod quem laudare laborat, novo eum onerat crimine Crinitus. Si probis tantum, juſtiſque fas eſſe viris Platonis laudes celebrare, impoſitus Aræ titulus jubeat; Ariſtoteli propterea nefas erit, manifeſtumque peccatum, ipſo ipſiſſimo approbante Crinito. Ex ejuſdem porro Criniti ſententia, antiquorum Græciæ ſcriptorum teſtimonio, Stagirita apud Athenienſes impietatis crimine accuſatus quandoque fuit, quemadmodum qui in Philoſophia dogmata quædam ut ἄθεος ϗ ἀσεβὴς protuliſſet. Hiccine fortaſſe Ariſtoteles, ex probis illis unus cenſendus, quibus fas, licitumque fuerit probare Platonem? non eſt ita profecto, ſi a probis Plato probandus, Crinite. Concludendum igitur, definiendumque reſtat, turpiter peccaſſe Ariſtotelem, ſtruxerit quamvis Aram in Platonis honorem. Mirabile dictu! eo nequitiæ ab Stagirita deventum, ut etſi fecerit bene, male audiat, peccareque dicatur.

Quomodo credibile erit, quod ſi aliquando extitiſſet hæc Ara, Laertii operam, ſedulitatemque effugiſſet; quando eum in Philoſophorum vitis elucubrandis, undecim ſupra ducentos antiquos Græciæ ſcriptores diligenter evolviſſe, ex Patricio colligitur. Accedit, quod ab ipſo Diogene in calce vitæ Platonis, tria integra afferantur legenda Epigrammata ſepulcro illius affixa, inter quæ ne umbra quidem, neque veſtigium commenti hujus apparet.

Quid plura? Tantum Ammonii mendacium apertiſſime oſtendit fragmentum illud Elegiarum Ariſtotelis ad Eudemum, idque apud Olympiodorum Platonicum habetur, in quo iſti leguntur verſiculi:

E'λ-

Ε'λθὼν δ' εἰς κλεινὸν Κεκροπίης δάπεδον,
Εὐσεβέως σεμνῆς φιλίης ἱδρύσατο βωμὸν
Α'νδρὸς, ὃν οὐδ' αἰνεῖ τοῖσι κακοῖσι θέμις.

Veniens in illuſtre Cecropiæ ſolum,
Pie venerandæ amicitiæ crexit altare
Viri, quem neque laudare ſceleſtis eſt fas.

Nonne horum idem eſt pene ſenſus, & verba eadem atque illa, quæ ab Ammonio, Stagiritæ nomine, Platonis tumulo apponuntur? Solertiſſimas profecto nugas, & vere Graji Peripati artes! nempe aliquibus ex Ariſtotelis Elegiæ in Eudemum carminibus, inſcriptionem Platoni feciſſe ſepulcralem, ut idem ipſe ingratus diſcipulus, proprii magiſtri appareat ſtudioſus. Perfrica prius frontem, Græcule inſolens, perfrica, deindeque fatuis hæc miracula ſcribe.

Et ſi vivo magiſtro infenſus fuerat odioſus diſcipulus, nihilo tamen reverentior, leniorque poſt illius obitum factus eſt. Immanis porro, efferatæque Hyænæ indutus naturam, ſapientiſſimi viri, univerſæ Græciæ teſtimonio, ſepulcrum ſubire auſus, ab ipſiſſimis muſis honorandum Platonis cadaver, Theonino dente dilaniat, mendacique aggreditur lingua.

Si extra brevitatis cancellos, quos ipſe mihi circumdedi, egrediendum reputarem, o quot, quantaſque technas, malas artes, & mendacia recenſerem ab Ariſtotele in Platonem machinata. At illud, quod neque taceri ullo modo, neque dici pro dignitate poteſt, ut aliquatenus cognoſcatur jubeo. Tanti viri nomen ampliſſimum, cujus de laudibus omnium erat ſama conſentiens, ut inſcitiæ maculis obrueret, illius dogmata vel in deteriorem ſenſum interpretatus, vel ſtructis ſycophantiis, amplius locis ſexaginta, calumnioſe aggreſſus eſt. Sed quoniam vereor, ne diutius in uno genere criminum

verſando , legentium animos nimiopere onerans , veluti opprimam ; cæteris quamobrem prætermiſſis , quatuor de propoſita re locos indicabo , non deſperans hiſce tantum impudentiam , arrogantiamque me hominis abunde patefacturum .

I.

16 Futili hoc commento Platonem aggreditur : *At*
enim quæ in Timæo diſſeruntur , nihil certi ,
ac definiti continent . Siquidem nec enucleate ex-
plicatur , an principium illud , quod rerum omnium
Capedo , & Receptaculum ab eo vocatur , ſit ab elemen-
tis divulſum ; nec cum materiam poſuiſſet elementorum
ſubjectum , ut Aurum operum aureorum , ea ad genera-
tionem corporum utitur . Quamquam nec hæc quidem
ſcite hoc modo exponuntur , propterea quod ea quæ in
alterationem incidunt , ita haberi ſolent ; cum fieri
non poſſit , ut quæ oriuntur , & intereunt , inde nomi-
nentur , unde ſui ortus primordia trahunt , etiamſi il-
le ipſe longe veriſſimum eſſe profiteatur , unumquodque
ita cælatum aurum vocari . Hæc Ariſtoteles.

Bina ſunt hic adverſus Platonem coagmentata men-
dacia ; quorum primum nimirum eſt , quod ab eodem
diſtincte , ac definite non fuerit edoctum , num rerum
naturalium prima materia , *Receptaculum* a Platone
nominata , ab ipſis ſeparetur Elementis ; quando is ita
17 ſcriptum reliquerit : *Quapropter ejus , quod factum eſt ,*
viderique poteſt , & omnino ſentiri , Matrem , & Re-
ceptaculum , neque Terram , neque Aerem , neque Ignem ,
neque Aquam dicamus , neque quæ ex his , neque ex
quibus hæc facta ſunt ; ſed ſpeciem quandam , quæ vide-
ri non poteſt , & informis eſt , & omnia ſuſcipit . Quis
non

non videat, quæ vel cæco appareant, non vidiſſe Stagi-
ritam? quem adeo aperta, patentia adeo effugiſſent,
niſi eum, cui animi acies acerbo livore, & odio Vati-
niano fuerit obcæcata?

Alterum vero, dum perperam ait, voluiſſe Platonem
ſic materiam Elementis ſubjici, quemadmodum Aurum
aureis operibus. Quod Auri uſus ſit exemplo Plato, ve-
rum eſt, non inficiabor; ſed quare? quoniam de prima
materia dicturus, de illa ingenue fatetur, quod, *ſi ejus,* 18
quod intelligentia percipitur, inexplicabili quodam mo-
do participem eſſe, & difficillime comprehendi poſſe di-
camus, non mentiemur.

Operoſam hanc igitur provinciam ingreſſurus nobi-
lis Philoſophus, naturalium ſcilicet principiorum inda-
ginem, quæ *altius petita* (ut ipſe dicit) *Deus novit,*
& ſi quis vir ipſi ſit amicus; rationi conſonum ſcite du-
xit, ad primam materiam explicandam, rei viſibilis
utendum exemplo, ut quoad poſſet, quod vel maxime
arduum erat, captu faciliorem redderet; cujus verba
hic lubens addo. *Adhuc vero, ut rurſus clarius de ipſo* 19
dicamus, conabimur. Si enim quis omnibus figuris ex
auro formatis, non ceſſet ſingulas in omnes transforma-
re, & oſtenderet quis unam ex ipſis, ac interrogaret;
quidnam eſſet? longe tutiſſimum ad veritatem eſſet di-
cere, Aurum id eſse.... Eadem ratio eſt etiam de natu-
ra omnia corpora ſuſcipiente, idem ſemper ipſam dicen-
dam eſſe: ex ſua enim potentia penitus non excedit, nam
& ſemper omnia ſuſcipit, & formam nullam unquam ul-
li ingreſſorum ſimilem ullo modo accipit. Effigies enim
a natura omnibus poſita eſt, moveturque ac figuratur ab
ingreſſis. Apparent autem propter illa alias alia. At
ingreſſa, & egreſſa, eorum quæ ſemper ſunt, ſimulacra
ſunt expreſſa ab ipſis modo quodam mirabili, & qui dif-
ficulter

Digitized by Google

ficulter enarrari poteſt. Ita Plato.

Quamobrem inficias iturum reor, neminem præter unum Ariſtotelem in ſole caligantem, exempli loco uſum auro Platonem, quemadmodum ſi dixiſſet: ſicuti aurum diverſis ſub ſpeciebus idem ſemper remanet aurum; ſic etiam prima materia, ſive *Receptaculum*, aliis quamvis, aliiſque ſubjiciatur formis, tamen nihilominus eadem ſemper eſt, atque impermutabilis. Quid moror hìc in argumentis? res ipſa clamitat, oſtenditque
20 manifeſte, non veritatis ſtudio Platoni adverſatum Ariſtotelem, ut placet Lyceo cum Ammonio, verum & livore animi illum per ora hominum, turpiter mentiendo, traduxiſſe. Potueritne Stagiritæ iſtud contingere, niſi eum pudere deſierit? quis talia perpetraturus, ſalva verecundia? Sed ut erubeſcat, oportet, quum hæc eum
21 aliquando docuiſſe meminerit: *Subjecta autem natura ſcibilis eſt ſecundum analogiam: ut enim ad ſtatuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliud aliquid habentium formam, materia, & informa ſe habet priuſquam accipiat formam, ſic hæc ad ſubſtantiam, & hoc aliquid, & quod eſt, ſe habet*.

Eo impudentiæ Stagirita devenit, ut vitio dediſſet magiſtro, quæ ab illo excerpſerat ipſe, quo ſibi honorem iis, gloriamque compararet. Dictu quidem, & auditu mirabile! Primam materiam explicaturus Ariſtoteles, æris, & ligni in artefactis utitur exemplo; dein vero præceptorem auro in iiſdem uſum vexare non deſinit; quemadmodum hoc abſurdi aliquid importaret, illud vero nequaquam. Qui lividis præcordiis modum imponat? Nemo unus egregie ſapiens ſane eſt, apud quem non os invidorum acerbitatis ſuæ virus evomat. Deteſtanda invidentia Stagirita perculſus, ut præclaro cineri, oſsibuſque Platonis inſcitiæ notam inureret,

non

Digitized by Google

non raro illum per technas aggreditur. De hoc luculento Ariſtotelis facinore, præter Peripati procerum nonnullos, Aquinatem quoque doctorem Eccleſiæ teſtimonium dixiſſe comperies. 22

II.

MEndax etiam eſt, hæc de Platone narrans: *Plato igitur de Generatione, & Corruptione, quomodo rebus ipſis competant, conſideravit ſolum, nec id quidem de omni, ſed Elementorum. Quomodo vero Carnes, aut Oſſa, aut quippiam aliud tale gignatur, nequaquam. Inſuper nec de Alteratione, nec de Accretione, quonam pacto rebus ipſis contingat.* 23

Quam a vero abhorreant modo ab Ariſtotele adverſus Platonem effutita, non eſt quod eadem demonſtraturus nimium inſudem; ſufficit nanque leviter evolviſſe Timæum. In eo quippe ingenioſe, & diligenter admodum, non ſolum de Carnibus, Oſſibuſque, de Alteratione, atque Accretione (quod inverecunde nimium ab Ariſtotele negatur) verum & de Nervis ſimul, Medullis, aliisque ſimilaribus a Medicis nominatis partibus pertractatum invenies; quemadmodum & de non ſimilaribus, Capite nempe, Cerebro, Ore, Naſo, Oculis, Pectore, Corde, Pulmone, Hepate, Liene, humani corporis humoribus, ſexcentiſque aliis, quæ cunctis ſuis voluminibus, ne extremis quidem digitis attigerat ipſe Ariſtoteles. Sed obſtrepet mihi fortaſſe tacita alicujus cogitatio, hæc a me ob ſuffragantium teſtium inopiam, jejune admodum, exiliterque pertractata: quamobrem ad clandeſtinas haſce devitandas ſuſpiciones, Platonis hic verba addam indicaturus, ab eodem de iis apertiſsime edoctum, quorum nominatim ab Ariſto-

Digitized by Google

Ariſtotele mendax mentio facta eſt, relictis cæteris, quæ volenti obviam erunt, ut dixi, in ipſo Timæo.

Quomodo igitur caro gignatur, in Timæo perſpicuum eſt: *Secundum naturam enim Carnes*, (inquit) *& Nervi ex ſanguine fiunt. Nervi quidem ex fibris, propter cognationem; Carnes autem ex ſanguine concreto, qui fibris ſecretis concreſcit. Quod vero a Nervis, & Carnibus viſcoſum & pingue decedit, ſimul quidem Carnem, plerumque ad Oſſium naturam, ipſumque quod circum medullam eſt, os nutrit, ac auget.*

Alio vero loco, de ejuſdem uſu, utilitateque ediſſe-
24 rens, ſic habet: *Carnem vero ut eſſet tectorium adverſus æſtus, propugnaculum contra tempeſtates, inſuperque adverſus caſus, velut res lana, aut pilis expletæ, ut corporibus molliter, ac leniter concederet; validam vero humiditatem intra ſe haberet, quæ æſtate quidem exudat, & extrinſecus humectat, ut familiare frigus per totum corpus exhibeat; hyeme vero rurſus per hanc caliditatem extrinſecus allabentem, ac imminentem frigiditatem moderate arceat. Hæc meditatus noſter ille efformator, ammixto, ac coaptato ad terram, & aquam, ac ignem fermento ex acido, ac ſalſuginoſo compoſito, ex ipſis permixtis, carnem ſucculentam, ac mollem conſtituit.*

Dic modo, Stagirita, a Platone carnis generatio prætermiſſa? Quid? Tune fortaſſe, qui maledico ore tuo magiſtrum libenter carpis, de re eadem aliquando verba ſapienter feciſſe reperieris? Ubi de carne pertractaturum polliceris, ejus generationem penitus fere reticuiſſe inventus es: & inibi, quot ſenſa, totidem prorſus σφάλματα profers. Quod ut a me effingi, parum in tuis operibus verſati nequaquam autument, germani ſermonis
25 tui ſententiam exponam, quę talis eſt: *Caro autem hæc, & quod*

quod carni ſimile in genere ſanguineo eſt omnibus inter cutem, & oſſa, aut quæ oſſium proportione continentur. Ut enim ſe habet ſpina ad os, ita carnis æmulum illud ad carnem. Diviſibilis undique caro eſt, nec venarum, aut nervorum more in longum ſecari tantum idonea. Aboletur, & in venas, fibraſque tranſit, quoties animal extenuatur, & gracileſcit. Vertitur item in pingue, quoties pabuli copia ſuppetit. Quibus multum eſt carnis, iis venæ arctiores, & ſanguis rubentior, & venter, ac viſcera parva. Quibus parum, iis venæ ampliores, ſanguis atrior, viſcera majora, & venter auctior. Pingueſcunt intra carnem, quibus parvus eſt venter.

Neſcio num hæc, vix ancillarum lucubratione digna, riſum magis, quam ſtomachum motura iis, qui ingenuis ſtudiis, artibuſque delectantur. Verumenimvero quum ego Stagiritæ ineptias, futilitateſque, tertia hujus operis parte exponendas decreverim, de iiſdem modo agere ſupervacaneum reputo. Hic tamen dicere fas habeo, nempe, non inveniendam excordem adeo, amentemque aniculam ignorantem, in emaciatis, defectiſque corporibus, venas ſolito majores apparere, non quod abolita caro (ut Ariſtoteles ſomniavit) in venas tranſierit; verum quia carneo, ut ſic dicam, tegumento ſpoliatæ, reddantur patentiores. Præterea, ſi quod ait locum aliquem haberet, longa quidem tabe confectus homo, totus fere vena evaſurus, pondere ſimul corporis non imminuto.

Perridiculum quoque & illud invenies, carnem videlicet in pinguedinem verti, quoties pabuli copia ſuppetit: etenim quo magis pingueſceret animal, eo minus in ſe carnium haberet: ſicut etiam magnæ obeſitatis corpora, carne jam in pinguedinem converſa, pene va-

catura carne; idqne adeo falſum eſt, ut ineptius quid, neque fingi, neque excogitari poſsit. Hæc, & hujuſmodi alia commentus eſt in hoc negotio Ariſtoteles ille, cui Plato diſplicuit, quod de carnis generatione nihil protulerit, quemadmodum ipſe per calumniam effinxit. Superſedendum jam eſt iis, quæ per ſe ſunt falſa perſpicue.

Inſuper Platonem ſugillat, ac ſi oſſium generationem pertractare omiſiſſet. Si Platonem inceſsiſset veluti admodum nimis allegorice hac de re loquutum, bene quidem factum; verum velle dicere, illum de oſsium efformatione agere neglexiſſe, audax mendacium eſt, & non toleranda temeritas: quod ut eluceſcat, en ipſius Platonis verborum ſenſa: *Os vero ipſum hoc modo conſtituit* (Deus). *Terram puram, ac levem perforavit, &*
26 *medulla imbutam ſubegit, & poſtea hoc ipſum in ignem immiſit, deinde in aquam merſit, & rurſus in ignem, & rurſus in aquam: ſic autem ſæpe in utrumque transferens effecit, ut ambobus liquefieri non poſſit.* Hæc Plato. Qui etſi Deo in hoc opere parum apte, aut potius ridicule, veluti fabro ferrario utatur; Ariſtoteles tamen in eodem pertractando negotio, inepte quoque & ipſe ſe geſsit, naturam patrem familiæ περιττῶμα (excrementitiam ſcilicet, vacantemque materiam) ſeligentem faciens. *Pe-*
27 *rinde enim Natura, atque pater familias prudens nihil amittere ſolet, ex quo facere aliquid commodi poſſit. Diſpenſatur autem in cura rei familiaris ita, ut cibus optimus detur liberis, deterior ſervis, viliſſimus ſociis animalibus. Ut igitur incremento jam addito, mens advena facit hæc, ſic in ortu ipſo, Natura ex materia ſinceriſſima carnem cæterorum ſenſoriorum corpora conficit, in excrementis oſſa, nervos, pilos, ungues, ungulas, & reliqua generis ejuſdem conſtituit. Quamo-*

brem

Digitized by Google

brem hæc ultima efficiuntur, cum jam ſuppetit excre-
mentum naturæ. Oſſa igitur in prima partium conſtitu-
tione gignuntur ex ſeminali excremento. Ita Ariſtoteles.

Sed videamus nunquid *Alterationis* meminerit Pla-
to, quod a Stagirita inverecunde negatur. Docet il-
le: *Cum vero in eodem fuerit* (motus) *conſeneſcit au-* 28
tem, aut nigrum ex albo, aut durum ex molli fit, aut
alia quadam Alteratione alteratur: nonne merito alte-
ram motus ſpeciem dicemus? Ex quo non ſolum de Al-
teratione verba feciſſe Platonem, verum & ab ipſo
(exemplis tantummodo immutatis) definitionem illius
mutuatum fuiſſe Ariſtotelem facillime apparet, quando
ſic finivit eandem: *Alteratio eſt, cum ſubjectum ſenſile* 29
remanet, atque vel affectionum ſuarum, vel contraria-
rum, vel mediarum mutationem experitur, ut corpus
quod vegetum, & firmum eſt, neque idem permanens
ægrotat, & graviter afficitur; ut etiam æs, quod ro-
tundam in formam compactum, aliquando angulis inci-
ſum concreſcit, & interea idem eſt.

Tandem, quomodo contingat *Accretio* a Platone
non pronuntiatum aſſeverat Stagirita: verumenimvero
quantum in ſe hoc mendacii contineat, idem Platonis
Timæus ſenſis hiſce apertiſsime indicabit: *Unde ejus,*
qui per corpus defluit laticis color, aſpectum qualem di-
ximus præfert, quem ſanguinem vocamus, carnium, &
totius corporis pabulum, unde dum ſingula æquantur,
ejus quod evacuatur baſim replent. Modus autem reple-
tionis, & ſeceſſionis contingit, quemadmodum in uni-
verſo cujuſvis rei latio contingit, in qua quodvis cogna-
tum ad ſe ipſum fertur. Quæ enim extra nos circum-
ſtant, ea liquant ſemper, ac diſtribuunt ad unamquam-
que ſpeciem id, quod cognatum eſt dimittentia. Quæ
vero ſanguinea ſunt, ea inciſa intus apud nos, & com-

Digitized by Google

prehenſa, velut unoquoque animali ſub Cœlo conſtituto, univerſi lationem imitari coguntur. Dum igitur unumquodque ex his, quæ intus diviſa ſunt ad cognatum fertur, tunc id quod evacuatum eſt, rurſus replet: & quum quidem pluſquam influit deceſſerit, quodvis corrumpitur, ac perit; quum vero minus, augeſcit. His non contentus Plato, per eandem lineam ſerram reciprocans, ex intima Socraticæ diſciplinæ profunditate, ſapienter
30 adeo hac de re iterum aliquando ediſſerit, ut nihil magis deſiderandum relinquat. Ejus verba hic apponere prætermitto, ne quod mihi in præſentia diſcutiendum propoſui, prolixa divagatione obruatur; ratus ſatis futurum veritatis amatoribus locum indicaſſe.

III.

ARiſtoteles, ut mos ei fuit, in Platonem per mendacium invectus eſt, tanquam primam materiam facientem Locum, Suſceptaculum, Sedem, Regionemque compoſitorum corporum, non vero generabilium
31 Formarum: *Quapropter & Plato* (dicit) *in Timæo materiam, & Receptaculum idem eſſe dicit. Suſceptivum enim, & Receptaculum, unum eſſe dicit, ac idem. Et quamquam Materiam illo quidem in loco Suſceptivum appellat, in hiſce vero, quæ non ſcriptæ ſententiæ nuncupantur, alio modo. Locum tamen, & Receptaculum idem aſſeruit eſſe.*

Platonis cuncta, quibus manifeſtum hoc, deprehenſumque Stagiritæ mendacium palam fit, narrare ſuperſedeo, quum longam illorum ſeriem Syllabo hujus Paragraphi calce apponendam decreverim. Verum, ut ingens confidentia hæc magis, magiſque cognoſcatur, illam ab ipſis Græciæ Peripateticis hic laceſsitam oſten-

dam.

Digitized by Google

dam. Simplicius porro nobilis Stagiritæ interpres, hunc magiſtri locum enarrare aggreſſus, tantum mendacium ſuſtinere nequiens, adverſus etiam Aphrodiſienſem Alexandrum pro Ariſtotele ſtantem acriter, animoſeque inſurgit, cujus quædam verba apponere non gravabor, quæ ſunt iſta: *Cum ergo hac, & hujuſmodi fere alia Plato diſputet hoc in loco, ut ſæpe alias; Ariſtoteles momentum verborum Platonis non animadvertens tradit, eum ipſum Materiam, & Locum idem aſſeveraſſe, quemadmodum ii etiam, qui idem ex ipſa dimenſione probant..... Quod vero de induſtria materiam locum Formarum, & non corporum eam affirmarit,* (Plato nempe, cujus verba paulo ante tradiderat) *e ſuperioribus verbis illius vel maxime exploratum habemus. Quod item hujuſmodi uſus non ſimpliciter translatitius dici debeat, (quemadmodum objicit Alexander) ſed quadam communi Loci ſignificatione, Receptaculum, & Locum materiam vocet, cum identidem Animum ſpecierum Locum appellandum eſſe Ariſtoteles cenſuerit, ex dictis paulo ante perſpicuum ſit. Si enim idem, cujus eſt particeps, & a quo definitur recipit, ac cingit undique aliquid, Locus ſit, & cenſetur illius, Materia itaque formarum Locus affirmabitur, quod particeps eſt formarum, ſed nequaquam corporum Locus dici debeat, nam corporum alius eſt Locus..... Quare his, quæ de Materia perinde, ac de Loco diſputantur, haud de corporum ambitu, aut complexu, ſed tanquam de Receptaculo formarum adductis* (a Platone) *aſſentiamur oportet.*

Philoponus deinde, qui Ariſtotelem commodiſsime
commentatus eſt, etiam & ipſe Coryphæum ſuum ita 32
reprehendit: *Ariſtoteles igitur, ut conſuevit, ea quæ
apparent, confutatus, merito objicit Platoni aſſerenti,*

Locum

Google

Locum materiam eſſe. Verum perſpicuum eſt, non hanc Locum, de quo nos modo diſſerimus, ac affimamus, eſſe corporum compoſitorum capacem, Materiam appellaſſe, ſed quadam naturalium formarum proportione, Locum appellavit Materiam. Quoniam quemadmodum omne corpus naturale in Loco eſt, ita omnis Forma naturalis eſt in Materia, ut etiam ipſe Ariſtoteles in libro de Anima appellavit Animam Locum ſpecierum : etenim, inquit, bene dixerunt, qui Animam eſſe Locum ſpecierum, & Mentem ſpecierum intentionalium aſſeruerunt. Hunc igitur in modum & ipſe Plato inquit, Materiam Locum eſſe Formarum naturalium; nam ſicut ſe habent ſpecies ſenſibiles, vel intellectuales ad Animam, ita ſe habent & Formæ naturales ad materiam, & Anima appellatur Locus ſpecierum ſenſibilium, & intellectualium; igitur & Materia dici poterit Locus Formarum naturalium, tanquam earum receptrix, & capax, ac id ſine quo illæ conſiſtere nequeunt. Hæc aliaque multa his non abſimilia adverſus Ariſtotelem diſſeruit Philoponus, ſtudio tamen brevitatis a nobis libenter prætermiſſa.

Cui ergo e Lycei familia dehinc animus dubitandi ſuppetet, in hoc negotio mendaci ore, & per calumniam aggreſſus ab Ariſtotele Plato? Tot, tantiſque ab
33 Stagirita illatis Platoni injuriis D. Thomas commotus, illi cognomentum indidit *Impoſtoris*, ut jam dixi. Quid? Idem ipſe Doctor Angelicus, quarto volumine Opuſculorum nonne teſtatur, quod etiam *ipſi Commentatores Ariſtotelis hoc eidem attribuunt, quod non plane retulerit aliorum opiniones, & præſertim Socratis, & Platonis?*

IV.

Digitized by Google

IV.

AGe perpendamus tandem ingens illud decumanumque mendacium, quod inverecunde nimis, de magiſtri ſama detrahens, comminiſcitur diſcipulus inſolens. Trita porro, & pervagata res eſt, Platonem Ægyptum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia vocabatur, laborioſiſsime peragraſſe, & qui Athenis magiſter erat egregius, cujuſque doctrinam Academia cum gloria perſonabat, fieri peregrinus, atque diſcipulus voluit, malens aliena verecunde diſcere, quam ſua imprudenter ingerere.

Sacerdotum Ægypti conſuetudine adeo is profecit, ut ob ejus divinam ſcientiam, apud univerſam antiquitatem, *Divini* cognomen invenerit. Hac eadem doctrina Ethnicos cæteros cujuſcunque ævi Philoſophos tantum antecelluit, ut eum ipſiſsimis Gentium Diis præferre, templumque eidem juſtius quam illis ponendum non dubitaverit Auguſtinus. Quot quantaque idem 34
noſtræ Fidei conſona docuerit, quiſnam brevibus narraturus? ſufficiat tantum eumdem audire Auguſtinum, Platonicos paucis mutatis fieri Chriſtianos ajentem. Et quamvis non negaverim, quamplurimis locis Cœleſtem veritatem metaphoris, allegoriis, Poetarumque fabulis ab eo obvolutam; verum id propterea factum, inter Grajos Peripateticos aliqui volunt, ſcilicet *Athenien-* 35
ſium populum veritus, ne ſententiam, qua Socratem capite mulctarunt, contra ſe ferrent.

Dialogo igitur *Phædon* inſcripto, poſteaquam de humanarum animarum immortalitate multa docuerit Plato, illarum pœnas, & præmia poſt mortem deinde ediſſerens, ad Poetarum fabulas, conſulto ſeſe recepit.

Ante-

Digitized by Google

Antequam vero earundem ſortes diſtribueret, orbem Terræ proprio arbitratu effinxit; ea tamen arte, ea animadverſione, ut, ne ſerio illa quiſquam dicta ſibi ſuaſiſſet, ipſius narrationis initio, ita Socratem cum Simmia alloquentem faciat: *Si enim etiam fabulam pulchram referre oportet, operæ pretium eſt audire, o Simmia, qualia ſint illa, quæ in terra ſub Cælo ſunt*; Cui Simmias: *Atqui, o Socrates, nos hanc fabulam libenter audiemus*. Neque dictis acquieſcens ſolertiſsimus vir, allegoricæ narrationi fine præſcripto, ſubdit: *Hæc igitur affirmare ita ſe habere, quemadmodum ego recenſui, non decet virum intelligentia præditum*.

Exorditur quippe Socrates, ut indicavi, fabuloſæ Terræ narrationem, & poſt multa, ſic idem fabulari pergit: Locos autem in ipſa (*efficta Terra*) eſſe juxta ipſius cavitates per totum circuitum multas, partim profundiores, & magis expanſas, quam in quo nos habitamus: partim profundiores quidem, ſed qui minorem hiatum habeant, quam locus, qui apud nos eſt. Quoſdam etiam breviores profunditate eſſe, & ampliores, quam qui hic eſt. Hos autem omnes inter ſe, alterum in alterum perforatos eſſe multifariam, & anguſtioribus, & amplioribus foraminibus, & tranſitus habere, per quos multa quidem aqua ex aliis in alios, velut in crateres fluat, & perpetuorum fluviorum immenſæ magnitudines ſub terra & aquarum calidarum, & frigidarum: multus autem ignis, & ignis magna flumina: Multos etiam illic eſſe fluvios luti liquidi, & purioris, & cœnoſioris, quemadmodum in Sicilia, qui ante rivum ſunt luto fluentes fluvii, & ipſe rivus torrens; & ex his ſane ſingulos locos repleri, prout ad ſingulos ſemper defluxio contigerit. Hæc autem omnia moveri ſurſum, ac deorſum velut vectabulum quoddam, quod ſit

in

in terra : eſt autem hoc vectabulum, propter talem quandam naturam. Unus quidam ex terræ hiatibus, tum alias maximus, tum in totum per totam terram perforatus eſt, is ſane de quo Homerus dixit, *Barathrum* ipſum appellans.

Hinc procul eſt ubi ſub terra Barathrum, idq; profundũ.

Hunc etiam alibi & ille, & alii multi Poetæ *Tartarum* vocaverunt. In hunc enim hiatum & confluunt omnes fluvii, & ex hoc rurſus omnes effluunt. Fiunt autem ſinguli tales, qualis eſt terra per quam fluxerint. Cauſa vero cur hinc effluant, ac rurſus influant omnia flumina eſt, quod hic liquor neque fundum, neque fundamentum habet. Elevatur itaque, & exundat ſurſum, ac deorſum, & aer, & ſpiritus circa ipſum idem facit, ſequitur enim illum, & quum in partem ultra illam terram proceſſerit, & quum in partem, quæ huc vergit. Et quemadmodum in his, qui ſemper reſpirant, ſpiritus fluens & expirat, & inſpirat; ſic etiam illic, dum una cum liquore ſpiritus elevatur, vehementes quoſdam, & ingentes ventos excitat, & ubi ingreditur & ubi exit. Quum igitur concitata aqua ad locum Infernum appellatum ſeceſſerit, ad illas aquas, quæ in illis fluminibus ſunt, per terram influit, & replet ipſa, velut hi, qui effundere ſolent: quum vero rurſus illinc abierit, & huc proceſſerit, ea quæ hic ſunt rurſus replet. Hæc autem repleta; fluunt per rivos, & per terram, & ſingula ad locos pervenientia, ad quos ſingulos deducuntur & Maria, & Stagna, & Fluvios, & Fontes efficiunt. Hinc vero rurſus terram ſubeuntia, & partim longiores, ac plures locos pergreſſa, partim pauciores, ac breviores, rurſus in Tartarum irruunt; alia quidem multo inferius quam effuſa eſſent, alia vero paulo. Omnia vero ſubter effluxionis locum influunt, & aliqua

ex adverſo ejus partis, per quam exierant influunt, aliqua ſecundum eandem partem. Sunt ea, quæ omnino in circulum circumvagata, & ſemel, aut ſæpe circa terram obvoluta, quemadmodum ſerpentes ſolent, quantum ejus fieri poteſt infra demiſſa, rurſus irruunt. Fieri autem poteſt, ut ſe dimittant in utranque partem ad medium uſque, ultra vero non. Acclivis enim fit utriſque fluxionibus ea pars, quæ utrinque eſt, ac alia quidem multa, & magna, & varia flumina ſunt. Verum inter hæc tam multa, quatuor quædam ſunt, quorum maximum, ac extimum per circuitum fluens Oceanus eſt. Huic ex adverſo fluit Acheron, qui per deſertos alios locos fertur, & ſane etiam ſub terram labens, ad paludem Acheruſiam devenit. Quo pleræque mortuorum animæ deveniunt, & ubi per quædam a fatis deſtinata tempora, aliæ longiora, aliæ breviora iſthic manſerint, rurſus ad animalium origines dimittuntur. Tertius fluvius in medio horum erumpit, & prope eruptionem in magnum quendam locum multo igne ardentem excidit, & paludem facit noſtro mari majorem, aqua, & luto ferventem; hinc autem procedit in circulum turbidus, & lutulentus; & dum circum terram volvitur, tum alio pervenit, tum ad extrema Acheruſiæ paludis, itaut aquæ illius non permiſceatur; ſæpe vero ſub terra obvolutus, inferius Tartaro irruit: hic eſt quem adhuc Pyriphlegetontem cognominant, cujus etiam rivi avulſiones efflant ubicunque terrarum fuerint. Huic rurſus ex adverſo quartus elabitur in locum primum horrendum, & agreſtem, velut dicunt, ſed qui colorem totum velut Cyanus habet, & hunc ſane Stygium cognominant, & paludem efficit, irruens hic fluvius Stygem. Hic vero illapſus, & vehementibus viribus in aqua acceptis, terram ſubtergreſſus, dum circumvoluitur, adverſus

Digitized by Google

verſus Pyriphlegetontem procedit, & ex adverſo illi in Acheruſia palude occurrit, & neque hujus aqua ulli miſcetur, ſed & hic in orbem circumvagatus, in Tartarum irruit, ex adverſo Pyriphlegetontis; nomen autem huic eſt Cocytus, velut Poetæ dicunt.

His vero ita a Natura ſe habentibus, poſtquam devenerint mortui ad locum, ad quem Dæmon unumquenque deducit, primum quidem dijudicantur, & qui recte, ac ſancte vixerunt, & qui non. Et qui quidem medio modo vixiſſe comperti fuerint, profecti ad Acherontem, conſcenſis his, quæ ipſis ſunt vehiculis, in his ad Paludem deveniunt, & illic habitant; & ſi quis injuſte quid perpetravit, ubi datis injuſte factorum pœnis purgati fuerint, abſolvuntur, & bene factorum etiam præmia ferunt, quiſque prout meritus eſt. Qui vero ob peccatorum magnitudinem inſanabiliter affecti eſſe viſi fuerint, utpote qui ſacrilegia multa, ac magna, aut cædes injuſtas, & multas iniquas perpetrarunt, aut alia, quæ hujuſmodi exiſtunt, hos ſors conveniens projicit in Tartarum, unde nunquam egrediuntur. Qui vero ſanabilia quidem; magna tamen delicta admiſiſſe judicati fuerint, velut qui adverſus patrem, aut matrem violentum quid præ iracundia perpetrarint, & per reliquam vitam pœnituerunt; aut homicidæ tali quodam alio modo fuerunt, eos neceſſe eſt in Tartarum incidere, eoque illapſos, ubi annum illic manſerint, unda ejicit; homicidas per Cocytum, parentum percuſſores per Pyriphlegetontem. Poſtquam autem delati fuerint ad Acheruſiam paludem, illic clamant, & ad ſe vocant; alii eos, quos occiderunt; alii eos, quos injuria affecerunt; hos autem accitos rogant, ac precantur, ut ſinant ipſos in paludem illinc egredi, eoſque ſuſcipiant. Et ſi quidem perſuaſerint, egrediuntur, & a malis liberantur; ſin minus,

rurſus ad Tartarum feruntur, & illinc rurſus ad fluvios, & hæc perpeti non ceſſant, priuſquam perſuaſerint illis, quos injuria affecerunt: hæc enim pœna ipſis a judicibus ſtatuta eſt.

At qui inſigniter ſancte vixiſſe comperti fuerint, hi ſunt, qui ab his quidem locis, qui in terra ſunt liberantur, ac velut e carceribus diſcedunt, ſurſum autem ad puram habitationem deveniunt, & ſupra terram habitant. Ex his ipſis autem, qui per Philoſophiam abunde purgati ſunt, hi & abſque corporibus penitus, in poſterum tempus vivunt, & in habitationes hi adhuc pulchriores deveniunt, quas neque facile eſt declarare, neque ſatis temporis eſt in præſentia. At horum, quæ recenſuimus gratia, o Simmia, omnia facere oportet, ut virtutem, & ſapientiam in vita conſequamur: pulchrum enim eſt præmium, & ſpes magna. *Hæc Platonis ſunt omnia.*

Quis, quæſo, tam ſtupidus, tanque bardus erit, ut non videat, hanc Terram, & hæc ſubterranea flumina a Platone deſcripta, mera ejus fuiſſe commenta, ad æquas ſontibus pœnas, & præmia juſtis per allegoriam ſtabilienda? Hanc quamvis commentitiam, non tamen ex toto futilem tanti Philoſophi narrationem, veluti de hac noſtra Terra ſerio, ac vero habitam, prave detorquet Ariſtoteles, ejuſque auctorem contumelioſe propterea lædit, criminatur, & arguit, ac ſi Tartarum aquarum omnium revera feciſſet initium. Verumenimvero ſi hoc per ignorantiam ab Stagirita factum, inter Thebanos merito, Bæotioſque is aſcribendus; ſi vero callide, verſuteque, ut æſtimo; hæc qui animadverterit & illum veluti ſycophantam habebit, & juſto dignum odio ducet. Audiamus ipſum modo Ariſtotelem, qui dum
36 vigilat, ſomniare videtur. Quod vero (ſunt ejus verba)

apud

apud Phædonem de fluminibus, & de mari ſcriptum reperitur, nullo certe modo eſſe poteſt. Siquidem affirmatur, aquas omnes ſubterraneis foraminibus inter ſe concurrere, & coire, *Tartarum* vero fontem, originemque aquarum eſſe omnium, quæ eadem vis eſt aquarum medio circumfuſarum, a quo omnes quæ fluunt, quæque ſtabiles ſunt emanent: ſingulis autem rivis affluentem parere copiam, quod primaria aqua, & origo ſemper agitetur. Nam ſtabili, certaque ſede non utitur, ſed perpetua circum terram volubilitate fertur: per motum etiam ultro, citroque actum, rivis affluentem parere copiam, multis quoque locis reſtagnare, cujuſmodi apud nos mare eſt, omneſque aquas in orbem initium repetere unde emanare cœperint. Multas etiam eſſe, quæ per eundem ferantur locum, alias item haberi, quæ per adverſum quaſi alveum dimanent, ut ſuperiore de loco influant, ſi ex inferiore affluxerint, & uſque ad medium delapſam, aquarum ubertatem exæſtuare, atque poſthac aquis omnibus concedi, & ad editiores perlabi: eaſdem item ſapores contrahere, coloribuſque infici pro natura terræ, per quam forte fluxiſſent.

Iſta eſt ſumma imaginariæ commentationis Platonicæ de ſubterraneis regionibus, & Tartaro ab Ariſtotele tradita, ſed veteratorie adeo, ut tantum ab inventoris mente diſſideat, quantum conficta longe abſint a veris.

Age videamus, quomodo ſapientum quorumcunque ſub Cœlo natorum facile princeps, vires ſuas totas colligens, adverſus umbras deblateret, prælieturque more Andabatarum. En veneno, inſidiiſque conflata tela, quibus ad perſonata φάντασματα jugulandum inſurgit. Sed ratione hac (*ita argumentatur Stagirites*) minime 37
accidit, flumina in eundem ſemper locum profundi; quan-

Digitized by Google

quandoquidem ad medium omnia perlabuntur, unde elabi ſolent. Nec illorum uberias inferiore de loco magis conſtabit, quam de ſuperiore, ſed eodem exæſtuabit, quo undabundus Tartarus delapſus fuerit. Atqui ſi hæc ita eveniant, id fiet, quod adagio uſurpatur, fontes in ſupremam fluminum partem profundi; quod quidem fieri non poteſt. Quin etiam aqua, quæ tum oritur, tum iterum tollitur, unde prodierit? Illorum enim ratio hoc totum neceſſario frangit, & debilitat, cum præſertim contendant, eandem incolumem ſemper circumlabi, quod quantum effluat, tantundem ad originem, principemque locum affluat. Atqui flumina omnia, quæ inter ſe non confunduntur, in mare præcipitare, & deſinere videntur, nec in terram ullum deſinit, imo aliis locis redduntur, ſi abſorta fuerint. Vaſta quoque intumeſcunt, quæcunque a ſuis fontibus remota, diſtentiore alveo per cava terræ diffluunt, quod multis fluminum rivis augeatur, curſu eorum impedito, tum locis, tum via longiore. Quocirca Danubius, & Nilus vaſtiſſima fluminum omnium ſunt, quæ in interiora effundantur maria. Nec deſunt, qui fontes, unde hæc duo flumina oriantur, modo hos, modo illos eſſe dicant, quod in unum, idemque flumen complura ſuos, proprioſque habentia fontes influant. Itaque perſpicuum eſt fieri non poſſe, ut quæ diximus conſequantur, præſertim cum vel mare ipſum a Tartaro originem ducat ſuam. Et certè minus conſtat, locuſne is aquæ pateat, an mari; & quam ob cauſam dulce, ac potulentum in fluentibus retineatur aquis, ſalſum in proprio aquæ loco conſiſtat. *Hæc habuit adverſus Platonem dicere Ariſtoteles.*

Horum argumentorum vim, ſoliditatemque, noſtri quidem inſtituti in præſentiarum non eſt perpendere; idque

que magis,quum ea adverſus Oreſtis ſomnium ſint para-
ta , inſomnii quoque ad inſtar , ut ex ſeſe evaneſcant
opus eſt , & in fumum abeant . Tamen nihilominus ob
iſtas offucias , haſce ob pravas adverſus Platonem Ari-
ſtotelis artes , Peripatetico Cabeo Jeſuitæ bilis intu-
muit , & confutata prius *Ariſtotelis iniqua impugnatio-
ne* , ut ipſe loquitur , addidit : *In antiquorum opinio-
nibus recenſendis apparet,Ariſtotelem non æquum omni-* 38
no ſe præbere , videtur enim ſemper illorum dicta , ad
ſenſum minus aptum deducere . Et poſt multa : *Dicen-
dum igitur eſt , male Ariſtotelem nomine Tartari intel-
ligere originem , & quaſi fontem aquarum in hac noſtra
terra , cum manifeſte loquatur Plato de loco a ſe confictο
per allegoriam , non de hac noſtra terra : quare impu-
gnationes Ariſtotelis contra Tartarum nihil conclu-
dunt , nec ſunt prorſus ad rem , de qua agit ibi Plato.*

Bene ſit tibi macte virtute , veritatiſque cuſtos Ca-
bee , jubeo te læto animo eſſe , neque propterea iratum
timere Lyceum ; Aquinas nanque Doctor Angelicus te-
cum eſt , ac Stagiritam de eodem crimine ſic repræhen- 39
dit : *Ex quo accipitur , quod Ariſtoteles diſputans con-
tra Platonem , & alios hujuſmodi , qui tradiderunt
ſuam doctrinam occultantes ſub quibuſdam aliis rebus ,
non diſputat ſecundum veritatem occultam , ſed ſecun-
dum ea , quæ exterius proponuntur* .

Eat modo Ammonius , & a juſtis criminationibus
iniquum magiſtrum hiſce , ſi poteſt , defendat : *Ari-* 40
*ſtotelem non ipſi ſimpliciter Platoni contradicere,ſed iis,
qui dicta ejus minus recte ſunt interpretati*; quando jam
luce meridiana appareat clarius , ipſo Ariſtotele, nemi-
nem Platonis nequiorem , infidumque magis interpre-
tem extitiſſe . Eat , inquam , & illum ſic excuſet , ut
facit : *Quod ſi & Platoni ipſi aliquando contradicit ,*

quid

quid mirum ? Nam hic quoque Platonem ille ſequitur authorem ; ipſius enim ſententia eſt , veritatem rebus omnibus eſſe anteponendam .

Bene quidem inquit Plato , Ammoni , Ariſtoteles vero non ita fecit bene ; etenim non animo candido , & ut veritatis decebat amatorem , ſed callide potius , nequiterque adverſus maniſeſtiſſima pugnavit . Idonei porro teſtes reſpondeant Græci illius interpretes Philoponus, Simpliciuſque , in Phyſicæ Auſcultationis commentariis palam profitentes , Ariſtotelem , momento Platonicæ doctrinæ prætermiſſo , conſueviſſe apparentia refutare . Et hoc erit , dic quæſo o bone , veritatis amore philoſophica ſubire certamina ? Quum ita , & tam turpiter ſe geſſiſſet Ariſtoteles : quis , obſecro , illum , non veritatis amicum , ſed ejus hoſtem magis , proditoremque appellare dubitabit?

Ecquis admirationi finem imponat ? ecquis continenter non exclamet cum Tullio : o portentum ! o ſcelus in ultimas terras exportandum ! Sed non potuit immanis illa natura , illud importuniſſimi hominis ingenium , quod tantum facinus adverſus proprium magiſtrum ſapientia venerandum commiſerit , hoc uno ſcelere eſſe contentum ; neceſſe fuit aliquid ejuſmodi ſemper moliretur ; neceſſe fuit in ſimili audacia , perfidiaque verſari : quamobrem ejus mordacitas in celeberrimos quoſque antiquos Philoſophos dentes ſtrinxit ſuos , illorum hæreſes perperam , invidioſeque interpretando . Quoniam properandum neceſſario eſt , ut cætera quæ mihi conſtituta ſunt poſſim exponere , ſingula adverſus antiquitatem ab Ariſtotele ſtructa mendacia percurrere deſino , nonnulla hic tantum a Gaſſendo annotata appoſuiſſe contentus , ſperans alio me loco id longiuſculo ſermone pertractaturum .

Phy-

Phyſica ejus Acroaſis (dicit) illorum quamplurimis ſcatet. Capite enim ſecundo primi libri Parmenidem, ac Meliſſum adoritur, tanquam aſſerentes unicum principium immobile: poſtmodum autem illos inſectatur ſub nomine *Entis*, non Principii, quaſi dixiſſent, omnia eſſe unum *Ens* immobile. Theologice porro illi loquebantur, intelligentes nempe unum Deum, ſive unam primam cauſam, ut vel ex eorum fragmentis, quæ adhuc extant, colligere eſt. Quid? quod ipſe Ariſtoteles primo Metaphyſices, capite quinto diſſimulare jam non potuit, cum doceat, Parmenidem per illud *Unum* intellexiſſe Deum. Et certe Simplicius, quem non parum Ariſtotelici ſuſcipiunt, ingenue fatetur, Parmenidem prorſus θεολογεῖν. Quare & idem Ariſtoteles cum initio capitis ſecundi, tum ſub finem tertii hujus, duos hoſce philoſophos *Phyſicis* opponit, (quod idem primo de Cœlo habetur) ut oſtendantur non Phyſice loquutos, ſed Theologice. Quæſo ergo: Cur non Phyſicos, neque phyſice loquutos, phyſice interpretetur, & in alienum ſenſum detorqueat? ut habeat quos laceret.

Deinde vero immerito taxat Anaxagoram, ac primum quidem improbans illius Ὁμοιομερίαν, cum vel ipſemet videatur eandem adſtruere lib.4.meteor.cap.12.; & aliunde Anaxagoras videatur dixiſſe, non actu, ſed potentia contineri omnia in omnibus; quod idem ſane dicturus Peripateticus eſt, propter Materiam, quæ ubique adeſt, & ubique Formas omnes potentia ſua continet. Cur non idem dicat? cum & ipſe Ariſtoteles primo Meteor. cap.3. hæc habeat: *Dicimus itaque Ignem, Aerem, Aquam, Terram fieri ex ſe invicem, & unumquodque horum in unoquoque contineri potentia*. Ad hæc perperam viſus eſt diſſimulare aliud Anaxagoræ principium, Mentem illam tantopere celebratam, quam

(immemor forte) poſtea confitetur lib. 2. cap. 4. , & clarius lib. 8. cap. 1. & 5. , ut non præoccupem quod dicitur circa Metaphyſicam.

Rurſus immerita eſt calumnia adverſus Anaxagoram, cum illum lib. 3. cap. 3. vexat, quod aſſeruerit, infinitum firmare ſe ipſum, ac proinde immobile eſſe. Ille ſiquidem de Mente, ſive Deo loquebatur, quum ipſemet 8. libro, & 12. Metaphyſico fatetur immobilem, & infinitum.

Præterea vero lib. 8. cap. 2. irreligioſe prorſus Anaxagoræ objicit abſurdum, quod niſi motus, atque adeo Mundus ſit æternus, ſed ſi cæperit aliquando, oportuiſſet Mentem fruſtra quieviſſe tanto tempore. Hoc ſcilicet modo impii Orthodoxis objiciunt; otioſum ergo Deum fuiſſe ante Mundum conditum, ſi Mundus non ſit ab æterno.

Verum innumeras alias calumnias obſervare licet. Siquidem lib. 4. cap. 1. immerito cæteros omnes Philoſophos taxat, quod ad ſe uſque nihil traditum, aut dubitatum de Loco fuiſſe. Ipſemet enim poſtea circa Locum refellere nititur Platonem, Zenonem, & alios: ac Zenonem nominatim, cujus dubitationem propoſitam cap. 1. ſolvere tandem conatur ſub finem capitis tertii.

Item cap. 8. immerito quoque inſectatur aſſerentes Vacuum ſeparatum, proinde ac illi poſuiſſent intra hunc Mundum, cum extra tamen ponerent, ut vel etiam colligere eſt ex capite ſexto præcedenti. Si quis quamplurima hujuſmodi deſideret, Mirandulanum adeat, & Patricium; etenim quæ modo tradidimus, ipſiſſima verba ſunt Petri Gaſſendi.

His non contentus Stagirita, impetu quodam percitus contradictionis, bellum univerſæ antiquitati indixit, nec nova artium vocabula tantum, pro libitu, cuden-

cudendi licentiam uſurpavit, ſed etiam priſcam omnem ſapientiam extinguere, & delere anniſus eſt. Adeo ut neque nominet uſpiam auctores antiquos, neque dogmatum eorum mentionem ullam faciat, niſi quo aut 41
homines perſtringeret, aut placita redargueret.

Hoc quidem animo, ea mente antiquioribus Philoſophiæ magiſtris fere omnibus injuſtum bellum indixit, proceresque ſapientum circiter quadraginta ſex, pluſquam biſcentum quinquaginta locis carpſit nominatim, ſine nomine vero magis quam mille. Et ita, ſi ex illius ſcriptis antiquorum reprehenſiones demas, longe minima ejus voluminum pars ſit remanſura.

Quid deinde proferam de maledictis, Mæſoniciſque dicteriis, quibus illorum aliquot inceſſivit; Xenophanem, & Meliſſum ἀγροικοτέρους *Agreſtiores* vocat: Parmenidem *Oculatiorem*, tanquam alii Cæci fuerint, nominat, illorumque opiniones παιδικάς *Pueriles* appellat; Anaxagoram, alioſque λίαν ἁπλῶς, καὶ ἀσκέπτως, *Nimis ſimpliciter*, *& inconſiderate* pronuntiaſse affirmat. Sæpe εὐήθεις, ἀρχαίους, ἀρχαιοτέρους, *Stolidos*, *Simplices*, *Deliroſque* illos dicit, eis *Ignorantiam* ἄγνοιαν objiciens, quos etiam *Furioſos* fuiſſe aſſerit: ταῦτα δ' ἐνίοις διὰ μανίαν οὐδὲν δοκεῖ διαφέρειν, *Hæc quibuſdam ob furorem nihil videntur differre*; Empedoclis, omniumque antiquorum Philoſophiam *Balbutientem* exiſtimat, quos tanquam Dialecticæ expertes aſpernatur; 42
quibus indignatus Atticus, eum *Beſtiam acrem* appellavit, & merito.

Autumatus vero ſe tuto non regnaturum, niſi Ottomanorum more fratres ſuos prius trucidaverit; propterea poſteaquam ex antiquorum ſcriptis quæcunque libuerit excerpſiſset, ne latrocinii, plagiique teſtes idonei adhiberentur in poſterum, eadem flammis nefarie 43

abſumi curavit. At ſi quæ voluerit ſupereſſe funeri, ea omnia ludibrio, dicteriiſque laceſſenda tradidit poſteris, dum in optimorum bona invectus, abſciſſis, perditiſque ſapientiæ ſtatuarum capitibus, ſuum impoſuit ſingulis, idque non obſcure per verba iſta ſignificat Majo-
44 ragius: *Sic Ariſtoteles, dicitur, ſcripta veterum Philoſophorum, quibus ipſe adjutus fuerat in ſuis operibus componendis, diligenter in tota Græcia quæſiviſſe, & combuſſiſſe, ne furta ſua cognoſci poſſent, & ipſe ſolus gloriam apud poſteros haberet.* Cujus etiam facti teſtimonio erit antiquum illud Epigramma, quo paucis plura Ariſtotelis egregia geſta, & facinora commemorantur:

45 *Doctorem ingratus calamo, dominumque veneno*
Obruit, igne patrum dogmata, nos tenebris.

Propterea factum crederem, hominem ſordidum, dico Ariſtotelem, aurique cupidiſſimum, (docente Ly-
46 cone apud Laertium) poſt mortem Speuſippi philoſophi, pauculos ejuſdem libros talentis tribus Atticis emiſſe, ut nempe *Plagio* commiſſo, tanti philoſophi monumenta igne, pro more, deleret. Sic trucibus præcordiis homo, adverſus univerſam ſapientiam inhumaniter ſe geſſit, ægre ferens Philoſophicum regnum unam non habuiſſe cervicem, ut unico quoque ictu illud everteret, penituſque aboleret:

Aſt ego colla velim tibi centum, & millia centum,
Ut totidem poſſis ipſe ſubire neces,

Philoſophorum omnium peſtis Stagirita.

Ex aliorum ſcriptis quod ſurripuerit Philoſophus iſte ad furta peridoneus, egregii ſcriptores non falſo
47 prædicant. Laurentius Valla ait: *Compoſuit Ariſtoteles plura quam cæteri alii, ſed & plura compilavit. In quo improbitatem ejus licet cognoſcas, quod quæ compi-*

lat,

Digitized by Google

lat, *non illis refert accepta*, *a quibus ſumſit*, *ſed ſi-*
bi vendicat. Guillelmus Poſtellus his quoque illum ſu-
gillat : *Quæcunque potuit Ariſtoteles a præceptore ex-* 48
cerpere, *ſibi*, *ſuppreſſo ejus nomine*, *adſcripſit*. Julius
Alexandrinus: *Ariſtoteles* (ſcribit) *in multis aliis lo-*
cis Hippocratis ſecutus ſententiam fuit, *ac Philoſophiæ* 49
loca ingreſſus maxime notanda, *iiſdem prope paſſibus*
perrexit, *atque etiam pedem iiſdem aliquando veſtigiis*
infixit, *tacito quamvis*, *ſuppreſſoque nomine*. Andreas 50
Laurentius: *Ariſtoteles* (inquit) *qui omnia fere*, *quæ*
de natura animalium ſcriptis mandavit, *ab uno didicit*
Hippocrate, *cum tamen ingratiſſimus vir*, *ejus nun-*
quam meminerit. Tandem Galenus addit: *Si quis enim* 51
in Ariſtotelis, *& Theophraſti ſcriptis ſit verſatus*, *ceu*
commentarios ea Phyſiologiæ Hippocratis conſcripta eſſe
putabit.

Eique uſitatum fuit,quemadmodum ex illius ſcriptis 52
conſtat, (verba ſunt Audomari Talæi) quidquid alii di-
xerint, ſenſerintve, cujuſcunque id eſſet, non modo improbare, ſed etiam vehementer oppugnare; videlicet ut hac arte ſolus inter philoſophos ſapiens haberetur. Et quidem tam manifeſtiſſimus calumniator, & impius hic Ariſtoteles eſt, ut in ipſis caſtris a militibus Themiſtio, Simplicio, Euſtratio (ſic enim ejus interpretes, ideſt pertinaces, vel in erroribus defenſores appellantur) egregius Imperator deſeratur, & tam cæco impietatis crimine tacite damnatur. Quid igitur ait Themiſtius? *Ariſtoteles perpetuo contradixit in ſpecie quadam fallaci*, *ideſt ſophiſtice*, *captioſeque diſputavit*. Quid Simplicius? *Ariſtoteles de Ideis potius ad verba*, *quam ad ſententiam argumentatur*. Quid Euſtratius? *Poſſet aliquis Ariſtoteli jure objicere*: *Videris*, *o Ariſtoteles*, *de induſtria* (*quippe quia amicus*, *& di-*

ſci-

ſcipulus Platonis extiteris) adverſus opinionem de Ideis adeo fallaciter, & captioſe diſputaſſe, ut ex eo quod nihil dicturus eras, quod ad enervandam de Ideis ſententiam valeret, non confirmares magis, atque ſtabiliores. Sed tamen in animadvertendis alienis erroribus, tam multos ipſe Ariſtoteles commiſit errores, ut nihilo deterior, & ſtultior ſit ejus oratio, quam res, & ſententiæ ejus oratione refutatæ; ſitque longe ſatius philoſopho contra alios nihil dicere, quam in aliis reprehendendis, tam multa majori reprehenſione digna dicere. Hactenus Talæus.

Quando igitur Lycei alumni de Ariſtotele ſuo ad-
53 verſus Idearum doctrinam pueriliter ineptiente tam abjecte ſentiant: cur non grate excipienda Attici ſententia ſic e Græco converſa? Poſtremo quod caput eſt, ac Platonicæ philoſophiæ cardo, rerum ſola mente perceptarum doctrina, quantum in Ariſtotele fuit, illuſa, conculcata, probriſque omnibus jactata eſt. Cum enim intelligere non poſſet res maximas, atque divinas, quæ longe cæteris antecellunt, ſimili aliqua facultate ad ſui cognitionem indigere, minuta quadam ſua, & humili ſubtilitate confiſus (quæ ut terreſtrium in rerum natura penetrare poſſet, earumque veritatem perſpicere, puriſſimam tamen illam, ac ſinceriſſimam propriæ veritatis lucem intueri non poterat) adeoque ſe ipſo, quodam quaſi rerum illarum, captu ſuo longe ſuperiorum, canone, arbitroque uſus, peculiares illas, cujuſmodi Plato agnoverat naturas, valere juſſit, illaque omnium altiſſima nugas, inſulſaſque cantilenas, & circulatorum fabulas appellare auſus eſt.

Et revera nullis unquam pravis artibus, nulliſque pepercit technis Ariſtoteles, ut earum doctrinam per contorta quædam, & aculeata ſophiſmata labefactaret,

ret, oſtentans quoque per facetias facere illas deridiculas. Sic porro eaſdem aliquando oblatraſſe invenio. 54
Velle enim Ideas exemplaria eſſe, & cætera eis participare, κενολογεῖν ἐςὶ, καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικὰς, *Va-* 55
niloquia, & metaphoras poeticas dicere eſt. Atque alibi, vix adverſus Ideas inſtituto certamine, ſine victoria palmam gerens, Io pæan ſibi met ipſi canit, & ac ſi revera Platonicæ aciei cornua commoſſet, confregiſſetque: τὰ γὰρ εἴδη χαιρέτω· τερετίσματα γάρ ἐςὶ, *Valeant enim Ideæ, quia ſunt Teretiſmata*, inquit:

Ariſtotelis expoſitores, alii cantus cicadæ, alii *citharæ ſtrepitus*, alii aliter τερετίσματα illa interpretantur. Commodiſſimam vero Græci Philoponi hanc explanationem habeo: *Teretiſmata autem vocantur præcan-* 56
tus citharedorum, quos inarticulate canunt, ut experiantur diſcordantiam chordarum, ſi ſecundum convenientem melodiæ rationem extenſæ ſint. Hoc autem inquit, ac ſi diceret; rationes Idearum ſunt verborum tenuvium, quæ vacua ſint intelligentia. Niſi tamen dicere arrideat, mendum in codice Græco irrepſiſſe, legendumque fortaſſis τερετείας, Suidæ, *rerum narrationes a natura humana abhorrentium*.

De mendaciis, quibus calumnioſe eandem doctrinam fuerit aggreſſus Stagirita, quid proferam? Longum ſane foret, & a propoſito alienum cuncta recenſere; de ea tamen re, unum Alexandrum de Ales eximium Peripati Athletam audire ſufficiat aſſerentem: *Ideas ſe-* 57
cundum rationes exteriores in intellectu primi poſuit Plato, non ut quædam ſubſtantia in intellectu primi, ut ei imponit Philoſophus,

Verumenimvero Platonicæ de Ideis ſententiæ hoſtiliter vale dicens Ariſtoteles, quantam peſtem, quotque deteſtandas impietates evomuerit, non eſt qui brevibus com-

compleĉtatur; Eccleſiæ tamen Doĉtor *Divus Bonaven-*
58 *tura* eam ſuſcepit provinciam, cujus verba aſcribenda putavi: Sed unde aliqui (ait) tenebras ſecuti ſunt? ex hoc, quia licet omnes viderint Primam Cauſam, omnium principium, omnium finem, in medio tamen diverſificati ſunt. Nam aliqui negaverunt in ipſa eſſe Exemplaria rerum, quorum princeps videtur eſſe Ariſtoteles, qui & in principio Metaphyſicæ, & in fine, & in multis aliis locis execratur Ideas Platonis. Unde dicit, quod ſolum novit ſe, & non indiget notitia alicujus alterius rei, & movet ut deſideratum, & amatum. Ex hoc poſuit, quod nihil, vel nullum particulare cognoſcit. Unde illas Ideas principaliter impugnat Ariſtoteles in Ethicis, ubi dicit, quod Summum bonum non poteſt eſſe Idea, & nihil valent rationes ſuæ, & Commentator ſolvit eas. Ex iſto errore ſequitur alius error, quod Deus non habet præſcientiam, nec providentiam, ex quo non habet rationes rerum in ſe, per quas cognoſcat. Dicunt etiam, quod nulla veritas de futuro eſt, niſi veritas neceſſariorum, & veritas contingentium non eſt veritas. Ex hoc ſequitur, quod omnia fiant caſu. Ideo inducunt neceſſitatem fatalem Arabes, ſcilicet quod illæ ſubſtantiæ moventes Orbem, ſunt cauſæ omnium neceſſariæ. Ex quo ſequitur veritas occulta, ſcilicet diſpoſitio mundialium ſecundum pęnam, & gloriam. Si enim illæ ſubſtantiæ movent non errantes, nihil ponitur de Inferno, nec quod ſit Dæmon, nec Ariſtoteles unquam poſuit Dæmonem, nec beatitudinem poſt hanc vitam, ut videtur. Iſte eſt ergo triplex error, ſcilicet occultatio Exemplaritatis, Divinæ providentiæ, Diſpoſitionis mundanæ. Ex quo ſequitur talis cæcitas, vel caligo, ſcilicet de Æternitate mundi, ut videtur dicere Ariſtoteles, ſecundum omnes Doĉtores Græcos, ut Gregorium

Digitized by Google

gorium Nyſſenum, Gregorium Nazianzenum, Damaſcenum, Baſilium, & ſectatores omnium Arabum, qui dicunt quod Ariſtoteles hoc ſenſit, & verba ſua ſonare videntur. Nunquam invenies, quod ipſe dixerit, vel dicat, quod Mundus habeat principium, vel initium. Imo redarguit Platonem, qui ſolus dicere videtur tempus incepiſſe, & illud repugnat lumini veritatis. Ex iſto ſequitur alia cæcitas de Unitate Intellectus; quia ſi ponitur Mundus æternus, neceſſario aliquod illorum ſequitur; vel quod animæ ſint infinitæ, cum homines fuerint infiniti; vel quod Anima eſt corporalis; vel quod eſt tranſitio de corpore in corpus; vel quod Intellectus ſit unus in omnibus, qui error attribuitur Ariſtoteli. Ex his duobus ſequitur, quod poſt hanc vitam non eſt felicitas, nec pœna. Hi ergo ceciderunt in errores, nec fuerunt diviſi a tenebris, & iſti ſunt peſſimi errores, nec adhuc clauſæ ſunt claves putei abyſſalis. *Hactenus Divus Bonaventura*.

Ea eſt igitur fructuum ubertas, quam Lycei umbro-
ſæ deambulationes, fontibus Ariſtotelicæ malignitatis,
livoriſque adverſus Platonem irrigati progenuere. Hinc
factum, ut Græci, Latinive Eccleſiæ Doctores ab 59
illius dogmatibus cane rabido pejus, & angue abhor-
ruerint. Propterea cujuſcunque ævi ſanctimonia, at-
que doctrina præclariſſimi viri poſteritatem admo-
nuerunt, *ne Ariſtotelicum nemus plantaretur juxta* 60
Altare.

Ipſe idem Ariſtoteles Platonicis adverſatus Ideis,
ab Auguſtino cenſetur hæreticus, quemadmodum qui
per hoc negaverit Verbum Dei; quodque etiam docet 61
Euſebius, & Scotus; imo *Hæreſiarcham Ariſtotelem
fuiſſe non dubitant*, *qui viderunt ejus virulentam do-
ctrinam*, *atque ſeditioſam*, Divi Antonini animadver- 62

ſione. Quid? non tantum Chriſtiani, & Sancti homines ſic de Stagirita judicarunt, ſed eum quoque, ex doctiſſimi
63 Lodovici Vivis ſententia, *Gentiles ipſi habent pro impio, quod ex erroribus populi Philoſophiam fingendi animos collegerit, & a ſanctiſſimis Platonis magiſtri inſtitutionibus receſſerit ſtudio contradicendi.*

Unum tandem reſtat pro hujus Paragrahi coronide, ut nempe Syllabum conſtruamus, quo ea oſtendantur, quæ a Platone, ſibi inverecunde aptans, ſuppilavit Stagirita, & eſt qui ſequitur.

S Y L L A B U S,

Quo aliqua eorum indicantur, quæ Platoni ſuffuratus eſt Ariſtoteles.

COgitanti mihi, & cum animo meo ſæpe reputanti ingratum Ariſtotelis animum erga inſtitutorem ſuum Platonem, per mihi mirum pariter, & indignum videtur, quod homo philoſophus ingenue fateri recuſaverit per quem profecerit. Deinde vero magis, magiſque illius pervicaciam ſum demiratus, quum plurima præceptoris dogmata, auctoris nomine ſuppreſſo, a diſcipulo in propriis tranſcripta voluminibus animadverterim.

Et quamvis jure, meritoque aliquando quereretur Plato, Ariſtotelem in eum recalcitraviſſe, veluti in matrem equorum pulli ſolent; o quanto acerbius illi dolendum ſi inſpexiſſet, quod Academiæ hæreſes ſuppilatus Stagirita, iiſdemque perſonatus, magni nominis Philoſophum ſe poſteris venditare ſategerit. O hominem obnoxii, & infelicis ingenii! maluit in furto deprehendi, quam mutuum reddere.

Tibi forte ſuaſeras, Ariſtoteles, quod excidio, in-

cen-

cendioque voluminum ſapientiæ priſcorum abs te inique perpetrato, *Plagium* tuum illarum chartarum egregio, 64
venerandoque cinere obruendum, divini pene viri nomen, gloriaque oblivioni ſimul fore damnanda? Attamen, Divina arridente Providentia, incolumes Platonis codices ad nos pervenere, ut nobilibus tanti viri ſtudiis (quantum tamen ſapientia tulit hominis Fidei lumine deſtituti) poſteritas frueretur, & tu deridiculus ante omnium oculos apparuiſſes *Plagiarius*, probique magiſtri, impius quoque oſtendereris diſcipulus.

Cum univerſa antiquitate *Plagium* exercuiſſe Ariſtotelem, aſſiduorum ſcriptorum teſtimoniis paulo ante abunde fuit a nobis edoctum; nunc vero animus eſt, hoc *Syllabo* aliquam hæreſum partem annotare, quas Platoni idem ipſe Stagirita ſuffuratus eſt. Quod quidem ſi, ut non dubito, fecero, una fidelia duos dealbabo parietes: primum videlicet, ejuſdem furta; deinde vero, quæ Peripateticæ doctrinæ veluti cardines habentur, è Platonico fuiſſe fonte exhauſta (diſtorta licet ab eo atque adulterata) indicando. Ecce me ad pollicita confero.

I. *Plato hæc de Principiis naturalium rerum habet*:
Principium autem factum non eſt: ex principio enim 65
neceſſe eſt quidquid fit fieri, ipſum vero ex nullo. Si enim ex aliquo fieret principium, non utique ex principio fieret; quandoquidem vero factum non eſt. Etiam non corrumpi ipſum neceſſe eſt; ſi enim principium perierit, neque ipſum unquam ex aliquo, neque aliud ex illo fiet; ſiquidem ex principio omnia fieri oportet.

Ariſtoteles vero ita ſcribit: Principia nanque neque
ex ſeſe mutuo, neque ex aliis, & ex ipſis omnia eſſe 66
oportet. . . Quia nanque ſunt prima, ideo non ex aliis ſunt. *Capite etiam 6. ejuſdem libri addit*: Principia vero manere ſemper oportet.

II. *Primam materiam hiſce verbis deſcribere videtur*
67 *Plato*: Eadem ratio eſt etiam de natura omnia corpora ſuſcipiente, idem ſemper ipſam dicendam eſſe: ex ſua enim potentia penitus non excedit; nam & ſemper omnia ſuſcipit, & formam nullam unquam ulli ingreſſorum ſimilem ullo modo accipit. Effigies enim a Natura omnibus poſita eſt, moveturque, ac figuratur ab ingreſſis: apparet autem propter illa alia alia. At ingreſſa, & egreſſa eorum, quæ ſemper ſunt, ſimulachra ſunt expreſſa ab ipſis modo quodam mirabili, & qui difficulter enarrari poteſt, de quo rurſus tractabimus. Verum in præſentia tria genera animadvertere oportet: Unum quod fit; alterum, in quo fit; tertium, unde id quod fit aſſimilatur, ac producitur. Et ſane etiam aſſimilare decet id quidem quod ſuſcipit, Matri; unde vero fit, Patri; intermediam autem naturam, Soboli, & cogitare quod ſi fieri debet effigies omnibus varietatibus aſpectu varia, non aliter hoc ipſum, in quo id quod effigiatur, collocatur, recte fuerit præparatum, quam ſi informe ſit, & omnibus illis Ideis careat, quas alicunde ſuſcipere debet. Si enim ſimile fuerit alicui eorum, quæ ſuſcipit, tunc ubi effigies contrariæ, aut omnino alterius naturæ ſuſceperit, male illas aſſimilabit, ut quæ ſuam præſefert faciem. Quapropter ab omnibus ſpeciebus alienum eſſe oportet id, quod omnia genera in ſe ipſo ſuſcepturum eſt, quemadmodum in unguentis odoratis liquores, qui ſuſcepturi ſunt odores; & qui in mollibus quibuſdam figuras imprimere volunt, nullam omnino figuram manifeſtam eſſe ſinunt, ſed prius explanata illa, læviſſima faciunt. Eodem igitur modo & id, quod omnium, & eorum quæ ſemper ſunt, effigies in ſe ipſum totum ſæpe probe ſuſcipere debet, ab omnibus ſpeciebus a natura alienum eſſe convenit. Quapropter ejus

ejus quod factum eſt , viderique poteſt , & omnino ſen-
tiri Matrem , & Receptaculum , neque Terram , ne-
que Aerem , neque Ignem , neque Aquam dicamus,
neque quæ ex his , neque ex quibus hæc facta ſunt ,
ſed ſpeciem quandam , quæ videri non poteſt , & in-
formis eſt , & omnia ſuſcipit ; quam ſi ejus quod in-
telligentia percipitur , inexplicabili quodam modo par-
ticipem eſſe , & difficillime comprehendi poſſe dica-
mus , non mentiemur .

Quiſquis autem ad ea animum intenderit , quæ de
Prima Materia abſque ordine , ſparſimque in ſuis operi-
bus ab Ariſtotele fuerint exarata , inveniet is equidem,
illum fere omnia a Platone mutuatum , quorum loco
exempli hæc ſint, ut quamplurima alia præteream: Etenim
materies quidem permanens , una cum forma cauſa eſt 68
eorum quæ fiunt , perinde ac Mater . *Et parum infra:*
Etenim ad Materiam id dico , quod primum eſt uniuſ-
cujuſque ſubjectum , e quo quippiam eo fit pacto , ut
non per accidens inſit . *Alio deinde loco docet* : Si igitur
primum ; ſubſtantiæ ortus, ac rudimenta a nulla ſubſtan- 69
tia ducentur , cui autem neque ſubſtantia , neque cer-
tum aliquid attribuitur , profecto reliquarum etiam Ca-
tegoriarum nulla ei reddetur , neque Quantitas , neque
Qualitas , neque Ubi , quoniam affectiones eam condi-
tionem , & naturam haberent , ut poſſent ſubſtantiam
deſerere ſuam . *Et paulo poſt* : Optimum vero ſumetur
initium ſi dixerimus , id tale quod gignitur , quodam-
modo ſimpliciter ex nihilo gigni : alio etiam modo e re,
quæ ſemper ſubeſt . Nam poteſtate Ens , actu vero non
Ens antegrediatur neceſſe eſt , quod etiam utroque mo-
do accipi , dicique poteſt .

III. *Contraria in eodem ſubjecto eſſe non poſſe docet*
Plato : SOC. . . . Dic enim mihi , putaſne felices , & 70
infe-

infelices contrariam affectionem pati? CAL. Ego ſane. SOC. Nunquid ſi contraria hæc inter ſe ſunt, neceſſe eſt ea ita ſe habere velut ſanitas, & morbus ſe habent? Non enim ſimul ſanus eſt, & ægrotat homo, neque ſimul a ſanitate, & morbo liberatur.

Ariſtoteles vero eodem quoque uſus exemplo, ſic habet: Contraria vero ſimul eſſe, impoſſibile eſt, ut ſanum, & ægrotum eſſe.
71

IV. *Contraria ex contrariis fieri ita apud Platonem edoctum invenio*: Videamus an ſic omnia fiant non aliunde quam ex contrariis contraria, quibus hujuſmodi quid eſt, quale pulchrum turpi contrarium, & juſtum injuſto, ſed & alia innumerabilia ita ſe habent. *Et poſt aliqua ſic concludit*: Abunde igitur habemus omnia ita fieri, ex contrariis contraria.
72

73 *Apud Ariſtotelem vero legitur*: Cuncta etenim aut contraria, aut ex contrariis; principia vero contrariorum
74 unum, & pluralitas. *Et alibi*; Propterea quod omne quod generatur, ex contrario, & ex ſubjecto fit quodam.

75 V. *Unum uno contrarium dicit Plato*: Nonne unicuique contrario, unum ſolum eſt contrarium, & non plura? . . . Confeſſi ſumus unum ſolum uni contrarium eſſe, & non plura? Confeſſi ſumus.

76 *Ariſtoteles vero eadem uſurpavit*: Præterea inæquali æquale contrarium; quare in pluribus quam uno erit; quod ſi inæquale idem ambobus ſimul ſignificat, erit quidem ambobus oppoſitum; & dubitatio juvat illos, qui dicunt, inæquale dualitatem eſſe: verum accidit unum
77 duobus contrarium eſſe, quod impoſſibile eſt. *Et alibi*: At unum uni contrarium eſt, atque motus ii, quibus infera, ſuperaque loca petuntur, inter ſeſe contrarii ſunt.

78 VI. *Plato docet*: Et ex hac ratione homini convenire, ut nihil aliud conſideret, tum de ſe ipſo, tum de aliis,

aliis, quam quod optimum, ac præſtantiſſimum eſt.
Neceſſarium autem eſſe eundem hunc etiam id quod de-
terius eſt noſſe: eandem enim eſſe de ipſis ſcientiam.

*Ex quo magiſtri fonte exhauſit inverecundus diſcipu-
lus famigeratum illud in Lyceo dictum*, Contrariorum
eandem eſſe diſciplinam: *Stagiritæ igitur iſta ſunt ver-* 79
ba:Itaque nec ulla alia,nec ipſa medendi ratio de ſanita-
te quicquam aliud faciet, cum vel nihil effici neceſſe
ſit, vel rei deſtinandæ contrarium: Quandoquidem ea-
dem eſt ſcientia contrariorum. *Idque iterum, iterumque
aliis locis inculcat.*

VII. *Quis non videat illud ab Ariſtotele dictum*:
Eſt enim motui contraria quies; *per eadem fere verba
a Platone prius pronuntiata*? Age itaque, (*is ſcribit*)
Motum, & Statum: nonne maxime contraria inter ſe 80
dicis?

VIII. *Motum illum Cylindricum ex recto, & circu-
lari miſtum, de quo meminit Plato, uſurpavit Ariſto-* 81
teles, dum ait: Omnis autem motus ad locum accomo-
datus, quem lationem conſuevimus appellare, aut re-
ctus eſt, aut circularis, aut ex hiſce miſtus. 82

IX. *Locum aliud eſſe, quam res locata dicit Plato*:
Atqui ſi ipſum in ſe ipſo eſſet, etiam ſe ipſum contine- 83
ret, & non aliud quam ipſum eſſet; ſiquidem & in ſe
ipſo eſſet. Ut enim in aliquo quid ſit, quod ipſum non
contineat, impoſſibile eſt. Impoſſibile equidem. Non-
ne aliud quid eſſet ipſum quod continet, aliud item
quod continetur? Non enim totum, ambo idem ſimul
patietur, & faciet, & ſi unus, non amplius unum fuerit,
ſed duo. 84

Ariſtoteles vero: Quare neque pars eſt, neque ha-
bitus ipſe locus, ſed a quaque re ſeparabilis eſt. Etenim
quale eſt vas, tale quid ipſe locus eſſe videtur. Vas enim

locus

Digitized by Google

locus eſt potens transferri. At vas nihil eſt ejus rei, quæ eſt in ipſo; locus igitur quo quidem eſt a re ſeparabilis, hoc forma ſane non eſt. Quo vero continet, hoc a Materia eſt diverſus. Videtur autem ſemper id quod eſt in loco, aliquid eſſe, & extra ipſum aliquid aliud eſſe.

X. *Corpora quæcunque ſuapte natura in propriis manere locis, vel ad eoſdem naturaliter ferri, perbelle*
85 *explicat Plato*. Si vero cum his, aut etiam cum alio quodam genere congreſſa pugnent, diſſolui non deſinunt, priuſquam aut omnino depellantur, & ſi diſſolui poſſint, ad cognatum diffugiant; aut ex ſuperatis unum ex multis ſimile ei quod ſuperavit fiat, & cum ipſo cohabitans maneat: & ſane ſecundum has affectiones etiam omnia locos permutent. Diſtant enim uniuſcujuſque generis multitudines ſecundum locum proprium propter ſuſcipientis loci motum. Quæ vero diſſimilia ſunt, feruntur ob concuſſionem ad locum illorum, quibus aſſimilata ſunt. Quæcunque igitur non miſta, ac prima corpora ſunt, per hujuſmodi cauſas facta ſunt.

Ex tam pulcherrimis hiſce dictionibus, hæc excerpſit
86 *Ariſtoteles*: Et corporum unumquodque proprios ad locos ſuapte natura ferri, aut ſurſum, aut deorſum pergendo, & in eiſdem manere.

XI. *Loci differentias ſex aſſignat Plato*. Inordina-
87 te tamen, & temere, prout contingeret, progrederetur, omnes ſex motus habens. Nam & in anteriorem partem, & retro; & rurſus in dextera, & ſiniſtra; & deorſum, ac ſurſum, & undique juxta ſex locos vagantia progrediebatur.

88 *Iiſdem uſus eſt Ariſtoteles*. Hæc autem loci ſunt partes, & ſpecies; ſupra, inquam, ac infra, cæteræque quatuor differentiæ, ſuntque hæc; dextrum, inquam, atque ſiniſtrum, & ſupra, ac infra, non ſolum noſtra

ex

ex parte (ad nos enim non ſemper eſt idem , ſed fit , ut
vertimur poſitione . Quo circa idem ſæpe dextrum eſt ,
atque ſiniſtrum , & ſupra , ac infra , & ante , & retro)
ſed etiam ex ipſa natura , ubi diſtinctum eſt ſeorſum
unumquodque . *Idque per eadem fere verba alibi affert.* 89

Quod vero intra parentheſis confinia Stagirita loca-
vit , ut aliquid de ſuo addidiſſe videretur , diſerte ma-
gis , ſciteque ab eodem Platone antea docetur : Nam ſi 90
etiam ſolidum quiddam juxta medium Univerſi æquili-
bre eſſet , ad nullum unquam extremorum deferretur ,
propter ſimilitudinem ipſorum , quam undique habent.
Sed & ſi quis circum ipſum obambulet , ut ſæpe obverſis
pedibus conſiſtat , tamen eandem ipſius partem & infer-
ne , & ſuperne eſſe dicet . Totum enim quod velut nunc
dictum eſt , inſtar pilæ rotundum eſt , locum aliquem
ſuperne , alium inferne habere dicere , non eſt viri ſa-
pientis .

XII. *Mundum unum eſſe , & non plures dicit Plato*:
Utrum igitur unum Cœlum , (*ſcilicet Mundum*) recte 91
appellavimus , an multos , & infinitos dicere rectius
eſſet ? Unum ſiquidem ſecundum exemplum fabrefactus
eſt . *Et rurſus poſt aliqua* . . . Ob id neque duos, neque
infinitos Mundos Opifex fecit , ſed unus hic unicus fa-
ctus eſt , & erit . . . . . Utrum vero unum , aut quinque
ipſos revera productos dicere convenit , magis merito
quis hac parte ambigat . Noſtra profecto ratio unum ip-
ſum productum veriſimiliter indicat .

Sic etiam Ariſtoteles ; Quod ſi hoc abſurdum eve- 92
niat , uno plures eſſe Mundos , impoſſibile eſt . *Et cap.*
9. *hæc ſcribit* : Dicamus autem deinceps oportet, Mun-
dum non ſolum eſſe unum , ſed etiam plures eſſe non
poſſe .

XIII. *Sphæricum a Deo factum Mundum , habemus*

93 *apud Platonem*. Sed & figuram ipſi (*Mundo*) convenientem, ac cognatam dedit. Nam animali quod omnia in ſe ipſo animalia complecti debebat, decora erat illa figura, quæ in ſe ipſa omnes figuras comprehendit. Quapropter etiam globoſum, & rotundum undique a medio æqualiter ad extremitates diſtans, ipſam tornavit, figura omnium perfectiſſima, & quæ ipſa ſibi ipſi ſimillima exiſtit, ſimile diſſimile multis modis pulchrius eſſe ratus. Læve vero totum circum circa extrinſecus exacte fecit multis de cauſis.

Ariſtoteles vero poſtquam anniſus fuerit demonſtrare
94 *re Cœlum ſphæricum, concludit, ac definit*: Patet ex hiſce, quæ dicta ſunt, Mundum eſſe rotundum, atque adeo exacte, ut nihil eorum, quæ manu conficiuntur, nec aliud quicquam eorum, quæ apud nos oculis cernuntur, ſit tam exacte rotundum.

95 XIV. *De Mundo item dicit Plato*: Inſuper vero ut non ſeneſceret, & morborum expers eſſet, conſiderans quod quæ corpora conſtituunt, ea ſolvunt, calida, & frigida, & omnia quæ robuſtas facultates habent, extrinſecus imminentia, & importune allabentia, & morbos, & ſenectutem inducentia, & ita corrumpunt: Ob hanc ſane cauſam, & hanc ratiocinationem, unum totum ex omnibus perfectum, & non ſeneſcens, & morborum exors ipſum conſtituit.

96 *At Ariſtoteles hæc profert, de eodem verba faciens*: Præſens autem oratio teſtis eſt, incorruptibile, ac ingenerabile eſſe, vacareque propterea omni difficultate mortali.

XV. *Quæ dura, quæve a nobis mollia nominantur corpora, ſic explanavit Plato*. Dura porro vocamus
97 ea, quibus caro noſtra cedit; Mollia vero, quæ carni cedunt, & ſic viciſſim collatione facta. Cedit autem quic-

quicquid in parvo conſiſtit: quæ vero ex quadrangulis baſibus eſt, utpote vehementer conſiſtens, ac maxime renitens ſpecies, & quæ in plurimam denſitatem compacta eſt, maxime contranititur.

Et Ariſtoteles idem docet per eadem verba: Et ſane 98
duritas id eſt, quod per ſummam partem tactu non cedit. Id enim quod cedit, molle eſt, quoniam nullo adverſo conatu tenetur.

XVI. *Plato ſcripſit*: Nonne, o Traſymache, hoc 99
jam manifeſtum eſt, nullam artem, atque principatum, id quod ſibi ipſi utile eſt efficere, ſed, velut dudum dicebamus, id quod ſubjecto utile eſt & ſubornare, & præcipere, illius, utpote inferioris, commodum ſpectantem, & non potentioris. Et propter hæc ſane ego, o chare Traſymache, etiam modo dicebam, neminem velle ultro principatum gerere, & aliena mala corrigere aggredi, ſed mercedem petere.

Ariſtoteles autem: Neque enim fieri poteſt, ut ſer- 100
vo deficiente, ſervetur dominatio. . . . Imperator eorum, qui gubernantur, ut videmus, & alias artes, ceu Medicinam, & Gymnaſticam, illorum quibus imperatur utilitatem quærere debet. . . Nunc autem ratione commodorum ex Reipublicæ gubernatione provenientium volunt continuo in poteſtate eſſe.

XVII. *Plato*: *Principatuum numerum, & formas* 101
hoc modo diſtinguit: HOS. Nonne principatus unius, ex civilibus principatibus unus eſt? SOC. Etiam. HOS. Et poſt unius principatum dixerit quis, paucorum, ut arbitror, potentiam? SOC. Quidni? HOS. Tertia vero Reipublicæ forma; nonne multitudinis principatus, eſt popularis appellatus? SOC. Maxime. HOS. Quum autem tres ſint. . . .

Eadem penitus diſtinctione uſus eſt Ariſtoteles: Cum 102
ve-

vero gubernatio civitatis, & regimen idem ſignificent; regimen autem eſt poteſtas civitatis; neceſſe eſt poteſtatem hujuſmodi aut penes unum eſſe, aut penes paucos, aut penes multos.

103 XVIII. *Hæc Platonem aliquando edocuiſſe invenio.* HOS. Proinde hoc aliquo modo manifeſtum eſt, ferendi leges artem ad regiam ſcientiam pertinere. Optimum autem eſt, non ipſas leges valere, ſed virum cum ſapientia regium. Noſti quomodo? SOC. Dicas quomodo. HOS. Quia lex nunquam poterit optimo, & juſtiſſimo ſimul omnibus exacte comprehenſo, id quod optimum eſt præcipere. Nam diſſimilitudines hominum, & actionum, & quod nunquam quicquam humanarum, ut ita dicam, rerum ſtabile ſit, hæc faciunt, ut nulla penitus ars quicquam ſimplex in univerſum de omnibus per omne tempus pronuntiare poſſit.

104 *Idem dicere videtur Ariſtoteles, minus tamen ornate.* Prima vero illa quæſtio manifeſtum facit, nihil adeo ut leges recte poſitas debere dominari. Illum autem, qui Reipublicæ præeſt, ſive unus hic ſit, ſive plures, debere in his poteſtatem habere, in quibus leges expreſſe cavere non poſſunt, ex eo quia non facile ſit generali ſermone ſingulos caſus comprehendere.

105 XIX. *Jubet Plato*: In agrorum autem diſtributione, primis & delubra, & omnia, quæ conveniunt aſſignabit, *Legislator*, ut ſingularum partium cætus, juxta conſtituta tempora congregati, & ad quoſvis neceſſarios uſus facilitate ſibi præparent, & alter alterum cum ſacrificiis amice excipiat, & familiaritatem contrahat, & ſe mutuo cognoſcant, quo majus nullum civitati bonum contingere poteſt, quam ut cives inter ſe noti ſint. Ubi enim non lux inter ipſos eſt in ipſorum moribus, ſed tenebræ, ibi neque honorem pro dignita-

te,

te, neque magiſtratus, neque juſtitiam convenientem unquam quis recte conſequi poterit;

Id præceptum ſic Ariſtoteles expreſſit. Ad judicandum vero ſecundum juſtitiam, & ad Magiſtratus demandandos ſecundum dignitatem, neceſſarium eſt, ut ſe invicem cognoſcant cives quales ſint. Quare ubi hoc fieri non contingit, neceſſe eſt, ut male res procedant circa Magiſtratus demandandos, & circa judicia. 106

XX. *De puerorum educatione differens Plato, inter cætera hæc docet*: Dico itaque, & aſſero, virum qui in quacunque re præſtans evadere volet, hanc ipſam (*eruditionem*) ſtatim a pueris, tum per luſum, tum ſerio meditari oportere in ſingulis, quæ ad rem attinent. Velut ſi quis præſtans agricola eſſe velit, aut ædificator, hunc pueriles domos per luſum extruere oportet, illum agrum colere. Sed & inſtrumenta utique parva, verorum imitamenta præparare oportet eum, qui utrunque educet. Quin & diſciplinas, quæ neceſſario prædiſcuntur diſcere neceſſe eſt, velut faber lignarius menſurare, & amuſſi uti diſcet; & militaris, per luſum æquitare, aut aliud quid hujuſmodi facere. Et per luſus conandum eſt, ut puerorum voluptates, ac cupiditates eo convertamus, quo ubi devenerint, finem habeant. 107

Quam doctrinam ſic expreſſit Ariſtoteles. Itaque ludi ut plurimum tales eſſe debent, ut ſint imitationes eorum, quæ poſtea ſerio erunt facienda. 108

XXI. *Ad pueros quoque ſpectantia exponens Plato docuit*: Quid vero inquam ego; modus dictionis, & oratio, nonne ad animæ mores ſequuntur? *Quidni*? Ad dictionem vero reliqua? *Etiam*. Dictionis ergo bonitas, & harmoniæ concinnitas, & ornatus, & rythmi concinnitas, ad bonitatem morum ſequuntur... 109

Nun-

Nunquid ubique hæc perſequenda ſunt adoleſcentibus, ſi id quod ipſorum eſt facere debent?

110 *Ariſtoteles deinde*. Rationabile eſt ergo præcipue in hac ætate, (*puerili nempe*) ut ab auditu, & viſu ſervilium rerum abſint. Omnino igitur obſcænitas verborum per Legislatorem exterminanda eſt de civitate: ex turpiter enim loquendi licentia, ſequitur & turpiter facere.

111 XXII. *Viſus præſtantiam extollit Plato*: Viſus itaque juxta meam rationem, maximæ utilitatis cauſa nobis exiſtit: nam eorum ſermonum, qui nunc nobis de Univerſo habentur, nullus unquam dictus fuiſſet, ſi neque ſydera, neque ſolem, neque cœlum vidiſſemus. Nunc vero dies, & nox oculis conſpectæ, menſes item, & annorum circuitus numerum excogitarunt, & temporis notionem, & de Univerſi natura inquiſitionem præbuerunt. Ex quibus Philoſophiæ genus comparavimus, quo nullum unquam majus bonum mortalium generi Deorum munere contingit, neque continget. Hoc itaque maximum oculorum beneficium eſſe dico. Reliqua vero minora quid prædicare opus eſt?

112 *Platonis doctrinam hanc ſequutus eſt quoque Ariſtoteles*. Omnes homines natura ſcire deſiderant. Signum autem eſt ſenſuum dilectio, nam & abſque uſu propter ſeipſos amantur. Præ cæteris autem, qui per oculos fit, non enim ut agamus ſolum, verum etiam nil acturi, ipſum videre præ omnibus aliis (ut ita dicam) eligimus. Cauſa autem eſt, quod ſenſuum hic vel maxime nos cognoſcere quicquam facit, multaſque differentias manifeſtat.

113 XXIII. *Ab admiratione initium ſumpſiſſe ſuum Philoſophiam tradidit Plato*. Valde enim philoſophica affectio eſt hæc, admirari videlicet, & non eſt aliud Philo-

Digitized by Google

ſophiæ principium, quam hoc. Et qui Irim Thaumantis, qui ab admiratione nomen habet, filiam eſſe dixit, non male ejus genus deduxiſſe mihi videtur.

Ariſtoteles. Propter admirationem enim & nunc, 114
& primo incœperunt homines philoſophari.... Quare Philoſophus amator fabularum quodammodo eſt, eo quod fabula ex mirandis conſtat.

XXIV. *De memoria verba faciens Plato ait.* Pone 115
itaque mihi, verbi gratia, in animis noſtris unam ceream figuram, in alio majorem, in alio minorem, & in alio purioris ceræ, in alio ſordidioris, ac durioris, in quibuſdam liquidioris, in quibuſdam moderate ſe habentis. THE. Pono. SOC. Donum itaque dicemus ipſam eſſe Muſarum matris Mnemoſynes, hoc eſt Memoriæ, & in hanc ipſam ſenſibus, ac cogitationibus ſubmiſſam, velut anulorum ſignis impreſſis exprimi ea, quorum meminiſſe velimus, ex his quæ videamus, aut andiamus, aut ipſi cogitemus.

Quam explanationem ita imitatus eſt Ariſtoteles: Si- 116
quidem conſtat id fieri per ſenſus veſtigium, quod tum animæ, tum parti corporis illum recipientis impreſſum eſt, ut affectio velut quædam pictura ſit, cujus habitum Memoriam aſſeramus: motus enim excitatus unum ſignificat, ut quoddam ſenſus ſimulachrum, more eorum, qui effigies anulis exprimunt.

XXV. *Docet Plato*: Verum quandoquidem quic- 117
quid fit, etiam corrumpitur.

Idem per eadem verba expromſit Ariſtoteles: Et ſi 118
generabile eſt, & corruptibile eſſe neceſſe eſt.

XXVI. *Socratem ſic Euthyphroni alloquentem aſ-* 119
fert Plato: Sed ubi pudor eſt, hic etiam timor eſſe. Nam, eſtne quis, quem rei alicujus pudeat, & qui erubeſcat, & non timeat, ac formidet ſimul improbitatis opinionem?

Ex

Digitized by Google

Ex quibus Platonis verbis ſuam de Pudore definitio-
120 *nem elucubravit Ariſtoteles.* Sit igitur verecundia dolor quidam, atque perturbatio ex malis aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant.

121 XXVII. *De Timore ſic ſentit Plato.* Timorem autem inducunt non præterita, neque præſentia mala, ſed quæ expectantur. Timorem enim eſſe expectationem futuri mali; aut non ita tibi videtur, o Laches?

122 *Eodem modo Timorem definiit Ariſtoteles*: Sit ergo timor ex imaginatione futuri mali corruptivi, aut dolorem inferentis, perturbatio quædam, aut dolor.

123 XXVIII. *Plato de Mundo verba faciens ait*: Læve vero ipſum totum circumcirca extrinſecus exacte fecit multis de cauſis (*opifex nempe Deus.*). . . Manus autem fruſtra ipſi addendas eſſe non probabat, quum neque accipere, neque depellere quicquam ipſi opus eſſet. Neque etiam pedes, neque omnino greſſionis adminicula: Motum enim ipſi tribuit corpori ipſius proprium. . . . Quapropter ſane ſecundum eandem in eodem, & in ſe ipſo ipſum circumactum in circulum contingente converſione moveri fecit.

124 *Ariſtoteles vero de Stellis loquens hæc dixit.* Inſuper nullum ipſis inſtrumentum ad motum tribuiſſe Naturam, metas egreditur rationis. Nihil enim caſu Natura facit. Neque animalia ipſi curæ fuere, adeo vero præſtabiles res deſpexit. Sed univerſa videtur, tanquam de induſtria, abſtuliſſe, quibus per ſe procedere ipſa poſſent, atque ab hiſce, quæ inſtrumenta ad motum habent quamplurimum ſemoviſſe. Quapropter & totum Cœlum rotundum cum ratione, & unaque ſtellarum eſſe videbitur. Sphæra enim figurarum maxime utilis eſt ad eum motum, qui eodem in loco fit. Sic enim & celerrime moveri......

Be-

Digitized by Google

Beneficiorum immemor Stagirites: ecce ingenii tui procacitas non fictis repreſentata coloribus, rudi quamvis, indiſertoque expreſſa penicillo. At quis poterit Demoſthenes illatas a te Platoni injurias verbis exprimere? Tanto tu in hoc negotio turpis magis, fœduſque appares, quanto magiſtros parentibus præſtantiores eſſe docueras, hos nempe vitam, illos vero honeſtam vitam tradere, verecunde ajens. Quid eſt hoc, inſano tui amore cœcutiens homo? nonne vides, quod dum juſta, & ſancta monita tua propriis corruptis moribus deſtruis, ipſe adverſus temetipſum gravis Cenſor evadis, & accuſator acerrimus? Quid quæris? eo tandem te perduxit gloriola, quam ex PLAGIO ſperabas, Aeſopicus graculus, *ut moveat cornicula riſum, furtivis nudata coloribus*.

PARTIS PRIMÆ

§. V.

LAERTII DIOGENIS VERBA.

HERMIPPUS in Vitis ait, eo pro Athenienſibus apud Philippum Legationem obeunte, Xenocratem Scholæ in Academia principem præfectum fuiſſe. Poſt reditum vero, cum ab alio Scholam obtineri vidiſſet, deambulationem in Lyceo ſibi delegiſſe, & uſque ad unctionem deambulantem, una cum diſcipulis philoſophari conſueviſſe, qua ex re *Peripateticum* quoque nominatum eſſe. Alii quod Alexandro poſt morbum inambulanti aſſiſtens,

O quæ-

quædam diſſereret. Poſtea vero quam plures eſſe cœperunt, etiam aſſedit, inquiens:

Turpe tacere, Xenocratem autem ſinere dicere.
Diſcipulos & in Theſi, & rhetorice ſimul exercebat.

COMMENTARIUS IN §. V.

Meminerit quamvis nunc Laertius, ex Hermippi ſententia, de Ariſtotelis apud Philippum Macedonem pro Athenienſibus Legatione, nihilominus idem
1 ipſe Diogenes alio teſtatur loco, famam adhuc ſuo ævo vigere, eo pro obeundo munere, cum certis aliis Xenocratem miſſum, licet nomina illorum reticeat. Et revera ſi Stagiritæ ingenium, vitæque ratio perpendatur, non ea invenienda quidem, quæ conſultiſſimos Athenienſium animos moveat ad ei tantum concredendum officium. Legati Senatus faciem ſecum afferunt, iique eſſe debent, qui per ſe habituri ſint rationem dignitatis ſuæ. Ubi Xenocrates homo ferme omnibus numeris abſolutus aderat; quid pro eo munere Stagirita quærendus? Ille vel quam maxime Reipublicæ acceptus, & adeo, ut ipſi tantum, & non alii injurato te-
2 ſtimonium dicere permiſſum Athenis; hic vero nequam, perditusque apud omnes habitus eſt, & a quo detracta quacunque opinione probitatis, univerſis inviſus, ſuſpectus, inſenſus. Et tamen ſibi ſuaſerat Hermippus, fidem ei narranti præbendam, quod ejuſmodi homini Athenienſis Senatus Legationem, ac Reipublicæ ſummam decreviſſet commendandam. Neque tam demens, & fatuus iſte habendus, quod honeſtiſſimæ, nobiliſſimæque matronæ, ut ita dicam, obſcœnitatis perſonam imponens, hanc in Philippi conſpectum, fœdiſſimis inquinatam flagitiis expoſuerit. Quam impudicus ſcortator,

tor, quamque puerorum turpis amaſius (præter cæteras ejus nequitias) extiterit Stagirita , non eſt ut iterum hoc loco commemorem . 3

Ad oſtendendum præclaræ patriæ decus, Xenocrate plurimis, & graviſſimis inſtructo virtutibus uſos Legato Athenienſes , facile ad credendum ducor, cujus præſertim pudicitia in omnium erat ſermone. Conclament Lais , Phryneque , & uno ore prædicent , quod 4
quum ſingulas in lectulo per inſidias habuerit , ſecari prius, urique fere ſit paſſus, quam a pudico propoſito deſciſceret. Si ſpurciſſimæ iſtæ lupæ in Ariſtotelem incidiſſent, o quam bene pexæ, o perquam repexæ abituræ; porro is a ſcortis abhorret adeo , ut illorum contubernio neget eſſe quicquam jucundius.

Huncne Ariſtotelem, Hermippe, illi Xenocrati in legationis munere prætulerunt Athenæ , unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur? Non eſt ita, 5
Hermippe, non eſt profecto: utriuſque dotes, & merita æqua lance prius expende , tum unum alteri compara, deindeque , ſi audes , Ariſtotelem eo in obeundo officio Xenocrate digniorem judica . Accedit eodem, quod ſi Oratorem de arte dicendi peritiſſimum quæſiſſe Athenienſibus animus jure fuerit, præſto aderat ipſiſſimus Xenocrates, ne balbus quidem homo, *& cujus libri ſunt de ratione loquendi multi , & multum probati*. Demus inſuper id , quod nullo modo fieri po- 6
teſt , idem ingenii , ſtudii, doctrinæ peſſimo , atque optimo viro : uter melior dicetur Orator ? interrogat Quintilianus: nimirum qui homo quoque melior; idem ipſe reſpondet.

Ne ſit ſane quod hactenus dixi, ultroque concedatur Hermippo, unum e Xenocratis ſociis, quos innomina-

tos reliquit Laertius fuiſſe Atiſtotelem : quid proinde ? hoccine ſortaſſe in illius laudem ceſſurum ? equidem
7 non eſt . Idem nanque aſſeverat Laertius, Legatorum quemvis, uſque ad Xenocratem integerrimis hominem moribus, donis ab Philippo delinitum, patriam turpiter prodidiſſe.

Proficiſcatur etiam, ſi lubet, cum Xenocrate, aliiſque pro Legatione Ariſtoteles, infida quoque apparet Hermippi narratio. Si una Legati abiere, unaque etiam redierint: (ut ex Laertii verbis liquet) qui fieri potuit, ut reverſus Ariſtoteles, Academiæ præfectum inveniſſet Xenocratem?

Fruſtra longiuſculo expromſi ſermone rem apertiſſimam; & tamen iſta non addere nequeo. Plutarchus adverſus Colotem ſcribens, conſtanti profert ſententia, Xenocratem ad Alexandrum, (non vero ad Philippum temporum rationi magis congruum) ab Aſiam incolentibus Græcis miſſum, quemque maxime ad bellum in barbaros ſuſcipiendum inflammaverit. Quis, tandem, Lamico bello, de captivis Athenienſibus Legatus ad Antipatrum mittitur, niſi Xenocrates ipſe? narrante eodem ſcriptore.

Utcunque hæc ſunt facta; nota res eſt, quod moriens Plato, Speuſippum ſororis ejus Potonæ filium & Scholæ, & Philoſophiæ hæredem reliquerit, a cujus interitu Academiæ præeſſe cœperit Xenocrates, ut jam eſt a nobis edoctum. Quacunque interea Academiam adipiſcendi ſpe abjecta, alio proprium convertit animum Stagirita, ac in Lycei, ut volunt, umbroſis deambulationibus, xyſtiſque περιπατῶν, de philoſophicis rebus cum diſcipulis ſermocinabatur. Verumenimvero antequam ulterius ſermone progrediar, operæ pretium ſtudioſæ juventuti brevibus exponere verbis duxi,

quid

quid ſibi voluerit apud Grajos nomen LYCEI.

Vetuſtiſſimus Spartanorum bellaci nationi mos fuit, Gymnaſia (quæ commode Palæſtras Latine dixeris) exercendorum gratia corporum, magno ſumtu, exquiſitoque apparatu extruendi. Quoniam inibi lucta, diſco, aliiſque certaminibus, ac ludis exercebantur; ideo *ἀπὸ τῦ γυμνάζεσθαι*, nempe *ab ſe exercendo*, loci iſti Græce fuere nominati *Γυμνάσια*.

Sunt tamen quibus placitum, *ab ſe denudando* ea ſic dicta, quum inibi ſeſe exercentes, non raro veſtibus exuerentur; atque *γυμνάζεσθαι*, ajunt iſti, olim apud Grajos *denudari* ſignificabat. Id tamen aliorum ſit judicii; quemadmodum & num propter *præmium* victoribus largitum, *ἆθλον* Græcis dictum, an vero ob *conatum*, *certamenque*, *ἆθλος* ab iiſdem appellatum, luctatores illi, curſores, pugiles, & id genus alii, *Ἀθληταὶ* fuerint nominati.

Adeo invaluit apud Spartanos Gymnaſiorum uſus, ut non tantum viri, ſed & mulieres, nudæque etiam cum viris puellæ in iiſdem exercerentur, luderentque; proptereaque ſic Propertius cecinit.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæſtræ,
Sed mage virginei tot bona Gymnaſii;
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros;
Cum pila veloces fallit per brachia jactu,
Increpat, & verſi clavis adunca trochi;
Pulverulentaque ad extremas ſtat fœmina metas,
Et patitur dura vulnera pancratio;
Nunc ligat ad cæſtum gaudentia brachia loris,
Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.

Longum ſane foret cunctos recenſere conatus, conflictuſque, quibus acerbe propria ſauciabant corpora, po-

potius, quam in Gymnaſiis exercebant Spartani. Adeo
ſeſe mutuo verberibus, flagriſque affligebant, ut qui
ſtrenui fieri laborabant, illos prorſus inſanire juraveris.
8 Ut cætera ſileam; quis non rideat, dum aut de pila in
theatro, impetu facto, collapſi quidam, mutuis vulneribus
ſemet deformaverint; aut in locum circumcirca
aqua obſeptum ingreſſi, ac in cohortes diſtributi, hoſtili
animo alter alterum invaſerit, & ipſi nudi, donec
pars alterutra diverſam e loco aquis circundato ejecerit,
nempe Lycurgi aſſeclæ, ſectatores Herculis, aut rurſus
in aquam impulerint: ab illa enim pax inſequitur, nec
ullus amplius pulſatur. Maxime vero ſi viderit pueros
ad Aram flagellis, ac loris cædi, ac ſanguine defluentes,
a patre, & matre aſſiſtentibus, non ut aliquem ex
hoc facto dolorem capiant, ſed minaciter interminantibus,
niſi vulnera perſeveranter tulerint, ac ſupplicantibus
quoque, ut quamdiutiſſime labori tolerando
ſufficiant, neve verberum difficultatibus cedentes ſuccumbant.
Itaque permulti plagis ipſis immoriuntur,
dedecoroſum exiſtimantes, ſi etiamdum viventes, in
familiarium conſpectu verberibus ſuperati deficerent;
aut corpore flagrorum ictibus cedere.

Ea vero tempeſtate qua hæc apud Lacedæmonas
fiebant, nullum in Gymnaſiis habuiſſe Philoſophos
commercium ſuſpicor; partim quod eis magis Palæſtra,
Eurotas, Sol, pulvis, labor, militia, quam artes Minervæ
in ſtudio erant; partimque quoniam ſæculis mul-
9 tis ante Gymnaſia inventa ſunt, quam in his Philoſophi
garrire cœperunt.

Spartanorum exemplo, Græcia univerſa voluit ſua
quoque habere Gymnaſia, & ita, ut ſingula ejus Oppida
ſuum ſaltem conſtruxerint. Athenienſes vero illo-
10 rum tria, non procul a Civitate ſibi paravere, Ἀκαδη-

μίαν,

Digitized by Google

μίαν, Λύκειον, Κυνόσαργες; *Academiam*, *Lyceum*, *Cynoſarges*. Præter hæc extra Athenarum muros poſita, totidem etiam intra Urbem fuiſſe invenio. Primum *Mercurii* appellabatur; ſecundum, a conditore, *Ptolemæum*; 11
& tertium tandem *Theſei*. Neque cum eruditiſſimo Vivis ſentiendum reor docente, Prytaneum, Canopum, Stoa, & Tempe aliquando Athenarum fuiſſe Gymnaſia, 12
ſed ea magis loca ad alios accomodata uſus exiſtimo.

Inter Grajos auctores, quorum opera extant, nullus, quod ſciam, inveniendus, a quo fuerint Græcorum Gymnaſia graphice deſcripta. Vitruvius tamen Veronenſis Architectus, Auguſti Cæſaris ævo vigens, illa tantum verbis monſtravit quemadmodum a Græcis conſtru- 13
cta; dummodo ei fides adhibenda ſit. Hieronymus deinde Mercurialis, aliquorum in Architectura exercitatorum induſtria uſus, εἰκονισμὸν Græci Gymnaſii, reſpondentem Vitruvii deſcriptioni, delineandum curavit, illum Arti ſuæ Gymnaſticæ apponens.

Et ſi deteſtandi Spartanorum Gymnici ludi paulo antea apparuerint, abominatione non minus digna Græcorum exercitamenta judicanda reputo. Illorum nanque partim, quibuſdam in certaminibus, comple- 14
xi, mutuo ſe ſupplantant, partim vero alius alium præfocat, ac verberat, & cœno ſemet immiſcent, volutanturque perinde ut ſues. At qui initio ſtatim exutis veſtimentis alter alterum viciſſim & radit, & ungit oleo valde pacate, & amiciter, deinde vero, neſcio qua offenſa, diſſociati, mutuo ſe de loco propellunt innuentes, fronteque arietantes concurrunt, non ſecus atque arietes. Unus alterum ſublatum cruribus humi proſtrat, deinde in eum illapſus, ſuſpiciendi facultatem non permittit, in cœnum deorſum adigens. Poſtremo vero jam illius crura ſecundum ventrem comple-

xus,

Digitized by Google

xus, circumjecto gutturi cubito, miſerum ærumnoſe
præſocat: alter autem ejus obverberat humeros, ſuppli-
cans, ut opinor, illi, ne prorſus præfocetur. Sed ne
olei quidem gratia agunt modeſtius, ne luti aſpergine
inquinarentur; verum obſcurata unctione, & luto com-
pleti, largo ſudore perfluentes, copioſam ridendi ma-
teriam exhibent, veluti anguillæ e manibus elabentes.
Rurſus alii in aulæ area hoc ipſum ſub Jove facere con-
ſueverunt, neque tamen illi ipſi in cœno, ſed profun-
dam arenam ſubiicientes, in foſſa conturbant ſe mutuo;
ipſique ultro ſpargunt pulverem, gallorum in morem,
quo minus (ut mea fert opinio) in complexibus effu-
giant, arena omnem lubricitatem diſcludente, adver-
ſariique comprehenſionem firmiorem in arido ſubmini-
ſtrante. Cæterum illi ſtantes erecto corpore, pulveribus
pleni, & ipſi mutuis ſemet afficiunt verberibus, & cal-
citrant. Itaque infelix ille & dentes expuenti ſimilis
eſſe videtur, adeo illi os totum & arena, & ſanguine
oppletum eſt, palma in maxillam percuſſo: ſed ne præ-
ſes quidem inter eos pacem componit, ac pugnam, in-
ducta concordia, diſſolvit; quin animoſe quoque co-
hortatur, & laudat eum, qui alteri incuſſa in faciem
palma plagam intulit. Porro alibi omnes accelerantes,
in pulvere veluti currentes ſubſiliunt, eodem in loco per-
manentes, calce laceſſunt aera.

Iſtinc, a Tullio ſciſcitabor, ex Athenarum myſte-
riis, moribuſque illis fortaſſe erunt, quibus ex agreſti,
immanique vita exculti ad humanitatem, & mitigati
15 ſunt Romani? Quid eſt, quæſo Cicero, immaniter,
& inhumane agere, ſi Græcorum Gymnici ludi non ſunt?
At ſi non ſunt, & excultus, mitiſque habendus alter in
alterum furore gratuito ſæviens homo; perperam agre-
16 ſtem, immanemque appellabimus Antonium, quod la-
tera

tera illa ſua gladiatoria oſtendens, graviſſimum pugnum
in os tuum injecerit aliquando.

Sed de Lyceo dicam. Suida auctore, Lyceum vel 17
a Piſiſtrato, ut Theopompus; vel, ut Philochorus,
Pericle curante factum, ubi ante bellum exercebantur.
Pauſanias vero hæc de eodem Gymnaſio habet: *Lyceum, a Lycio quidem Pandionis filio nomen accepit.* 18
*Apollinis autem templum principio ſtatim apud veteres,
& noſtro quoque ſæculo eſt exiſtimatum; & Lycius is
Deus ibi primum nominatus.* Hunc Apollinem Lucianus
verbis delineavit, quando Solonem ſic Anacharſi
alloquentem facit: *Locus ille, o Anacharſi, a nobis
vocatur Gymnaſium, eſtque templum Apollinis Lycii.
Cernis autem ejus ſimulacrum, quod ſupra ſtatuam ſitum
eſt, ſiniſtra quidem arcum gerens, dextra vero ſupra
caput refracta, tanquam ex multa defatigatione Deum
quieſcentem indicat.*

Locus hic arbuſtorum amœnitate, delicioſiſque or- 19
nabatur hortis, de quibus etiam Ovidius, & Vitruvius 20
meminit. Eo tamen una cum aliis cultis, ſanctiſque
locis circa Athenarum Urbem exiſtentibus, a Philippo
Macedone incenſo, devaſtatoque, denuo paratur, plan-
taturque a Licurgo. In hortis porro, Xyſtis, & viis 21
Gymnaſii hujus oberratus, ut quidam dicunt, Ariſto-
teles, atque περιπατητικῶς differens effecit, ut qui erant 22
cum eo, *Peripatetici* dicti ſint.

Si hoc in negotio cum Cicerone ſentiendum, reiicien-
dus certe Ægydius Menagius erit, qui Joannis Jonſonii 23
ſententiæ adhærens, Henricum Stephanum accuſat au-
tumantem, a *deambulatione* potius, quam a *loco* no-
minati *Peripatetici*. Verum Henrico Stephano Ammo-
nius Ariſtotelis Græcus aſſecla apertiſſime favet: *Peri-
patetici vero* (ſunt ejuſdem verba) *talem ob cauſam ita* 24

dicebantur. Plato enim exercitii cauſa deambulans, faciebat cum ſociis converſationes, cui Ariſtoteles ſuccedens, habuit ex actione, ſive accidente cognomen.

Utcunque *Peripatetici* cognomentum Ariſtoteli, ejuſque auditoribus inditum, mitto id amplius ſcrutari, unumque abs te quæro, Ammoni: quando, quovenam tempore Platoni ſucceſſit Stagirita, ut magiſtri deambulationis quoque hæres evadens, *Peripateticus* & ipſe propterea diceretur in poſterum? Cuncta vetuſtorum monumenta Græcorum unanimi conſenſu docent, primum Platonis ſucceſſorem fuiſſe Speuſippum, quo deficiente, Academiam rexerit Xenocrates. Si ejuſmodi nomenclatura ſucceſſionis veluti jure quodam cum Schola proceſſiſſet, ipſi quidem Speuſippus, Xenocrateſque, aliive poſt hos Academiæ principes, & ſectatores, *Peripatetici* merito dicti fuiſſent; & tamen abnuente priſcorum nemine, *Academici* ſunt appellati: *Illi autem*
25 (docet Cicero) *qui Platonis inſtituto in Academia, quod eſt alterum Gymnaſium, cœtus erant, & ſermones habere ſoliti, de LOCI vocabulo nomen habuerunt.*

Peripateticorum deinde cognomen ab ipſiſſimo Ariſtotele originem traxiſſe ſuam, non eſt qui inficiatur:
26 *Ab ipſo Platone* (idem inquit Tullius) *Ariſtoteles, & Xenocrates, quorum alter Peripateticorum, alter Academiæ nomen obtinuit*; cui aſtipulatus Divus Clemens Alexandrinus: *Apud* Platonem, ait, *philoſophatus*
27 *Ariſtoteles, cum tranſiſſet in Lyceum, hæreſim creat* Peripateticam.

Non reticenda inſulſitas eſt, quam Peripateticorum aliqui de Platonis deambulatione effinxerunt, ut nempe a tanto viro magis, quam ab errone Ariſtotele initia ſumſiſſe Peripateticorum gregem ſuadeant indo-
28 ctis. Opimum corporis habitum nactus Plato, dicunt,

ejus

Digitized by Google

ejus exercendi gratia , Academiam locum inſalubrem
nimis ad habitandum ſibi elegit ; & ne aeris malitia læ-
deretur , inter docendum deambulationes exercuiſſe ,
idcircoque is Peripatericorum inſtitutor primus haben-
dus . Quumque id ſecundis accepiſſet auribus Rhodigi- 29
nus , vir eruditionis profecto non vulgaris , ad anicula-
rum hæc deliramenta adduci paſſus eſt , quodam operis
ſui loco dicens , Platonem quum corporis habitudine
uteretur nimium proſpera , quæ veluti vitis luxurians
foret reſecanda , Academiam inſalubrem Atticæ locum
delegiſſe , qua quod redundans , nimiumque ſentiebat ,
loci intemperie ſupprimeretur .

Pro aniles revera ineptias ! Quiſnam, bardus quam-
vis , ſibi ſuadeat , hominem in diſciplinis doctrinarum
omnium præcellentem , pro extenuanda proſpera ſui
corporis valetudine , tanquam remedio , inſalubri uſum
aere ? Quis deinde , niſi Athamante illo dementior , cre-
dat , quod ad præcavendas impuri aeris noxas , deam-
bulationem ſatis futuram , ineptiſſime dijudicaverit vir
ingenio pene divino præditus Plato ? Qui , tandem ,
homo tam fatuus , ut nauci ſanitatem habens exquiſi-
tam , labefactare , perdereque illam ſtudeat aere ma-
ligno ?

Etiam de Cimone memorata a Plutarcho abunde
ſatis rejiciunt quidquid de aeris impuritate in Academia
vigente Peripatum effinxit . *Platanos plantavit in Foro*
(ſunt Plutarchi verba) *Academiam vero , quæ arida*
prius fuerat , & inculta , irriguum Lucum effecit ſua
opera , puriſſimis alveis , umbroſiſque deambulacris ela-
boratum . Ergone locus ſuapte natura antea aridus , ir-
riguuſque dein ad amænitatem puriſſimis lymphis arte
redditus,inquinato illum aere infectum ſuſpicabimur?Et
tamen Peripateticorũ non nemo talem revera eum fuiſſe,

Digitized by Google

ĉter, admodum aſſeverat. Arcenda quidem excogitatio, & riſu prorſus, ludoque digna.

Nihil opus eſt hoc argumentis longius facere, eſt enim perſpicuum. Vos vero, Peripatetici, finem aliquando veſtris nugis imponite, ſatiſque ſit vobis tale cognomentum adeptos ab erratico, ac vagabundo in Lycei Xyſtis Ariſtotele, dum ſcilicet hujus porticus, & Exedræ (ſi tamen hæc aliquando inibi inventæ) eum excipere doctorem recuſabant. Iſta de Lyceo dicere habui longius quam inſtituta ratio poſtulabat, brevius autem, ac ſi de re eadem una diſputarem. Redeamus ad Stagiritam, pergamuſque Laertium de illo audire, Hermippi ore, diſſerentem.

Athenas redeunte Philoſopho noſtro, quum Platonicæ Scholæ præfectum reperiſſet Xenocratem, ſe in Lyceum conjecit, in eoque ipſe περιπατητικῶς, *deambulando*, uſque ad unctionem philoſophabatur. Verumenimvero quid illud ſibi velit, *uſque ad unctionem philoſophatum in Lyceo Stagiritam*, operæ inveſtigandum duxi.

Pro vero recepta narratio eſt, in Gymnaſiorum quolibet extitiſſe accomodatum locum, ἀλειπτήριον Græcis dictum, in quo cuilibet Gymnicos quoſdam inituro ludos, oleo liniri datum. Si liber περὶ τῆς ἀλειπτικῆς Me-
30 trodori illius Scepſii ab Athenæo memorati extaret, ſtatuta utique ſe inungendi tempora palæſtritas apertiſſime noviſſemus: verumtamen a nobis delibata, quæve Hermippus ipſe protulit, Ariſtoteleum in Lyceo ad uſque unctionem docendi morem ſatis indicatura auguror.

Ubi curſu, haſta, diſco, ſexcentiſque aliis certaminum generibus Athenienſium exercebatur natio, inibi cujuſcunque ætatis, conditioniſque magnam conveniſſe hominum frequentiam conſentaneum duco. Quumque

que

que Schola vacaret Stagirita invidus Xenocratis æmulator, auditorum ſibi comparandorum inſana cupidine flagrans, conſulto ſe in Lyceum contuliſſe, atque in illius Xyſtis accurrenti multitudini, circulatorum more, ſe ſe oſtentaviſſe crediderim; hac induſtria forte ratus, accedentium aliquot evaſuros ejus quandoque diſcipulos. Et quoniam paſſim huc, & illuc vagans, hominum cœtui Gymnicorum tempus expectanti, in coronaſque redacto diſſerere conſueverat, ea loci crebra mutatione, *Peripateticus*, ſive *Circumambulator*, ut ſic dicam, appellatur. Dum hæc ab Ariſtotele in Lyceo geruntur, Gymnicorum properat deſtinatum tempus, illorumque ſigno dato, in media oratione, cauſa *Unctionis*, ſubito a cunctis ipſe deſeritur; quoniam *diſcum*, 31
quam Philoſophum audire malunt. Et ecce jam nunc quomodo dictum, niſi animus fallit, *ad Unctionem uſque* in Lyceo diſſeruiſſe περιπατητικῶς Ariſtotelem.

Ex hac aſſidua in Lycei Xyſtis conſuetudine, ac veluti circuitione quadam, ut dudum dixi, ſibi Ariſtoteles nonnullos, quod arbitror, aſcivit pediſequos. *Poſtea vero quam plures jam eſſe cœperunt* (diſcipuli) *etiam aſſedit inquiens*:

Turpe tacere, Xenocratem autem ſinere dicere.
Et in Theſi inſtituebat diſcipulos, rhetorice ſimul exercens, ut Laertius tradit, Aldobrandini interpretatione.

Sed ſi aſſidet Stagirita, ut ſilentia rumpat, turpe uſque adhuc ſiluiſſe ratus; novo utique, ac inaudito in omni memoria portento, tacitus antea diſſeruerat cum diſcipulis περιπατητικῶς in hortis Lycei. Plus addam. Ubinam, & quo in Gymnaſii hujus loco aſſediſſet, apud vetuſtiorum Græcorum neminem narratum, ſignificatumque legitur; quemadmodum & non habemus, lo-

cum

cum in Lyceo fuiſſe, in quo degentes alii Philoſophi diſputare conſueverint. Exedræ porro, quas Grajorum Gymnaſiis aſſignat Vitruvius, mera ſunt figmenta ho-
32 minis παραδοξολογου, auctoritatiſque non multifaciendæ. Et capere enim mente poterit nemo, Lyceum armandis, exercendiſque ante bellum militibus deſtinatum, ad Minervæ ludos una fuiſſe ab Athenienſibus deſignatum. Quis inter duri Martis labores, armorumque exercitia colat Palladem?

Si in Lyceo quandoque Stagirites aſſidens docuiſſet, quemadmodum ab Academia Academici, & a Stoa cognominati Stoici, ſic etiam Lycei alumni dicti quidem fuiſſent Lyceici; illo ipſo ſane modo ac a *Peripato*, ſcilicet a conſtituto ad deambulandum loco, ut quibuſdam
33 viſum, iidem nominati fuere *Peripatetici*.

Jam obvenit occaſio narrandi Ariſtoteleam deambulationem illam quacunque annotatione digniſſimam a Suida per hæc verba memoriæ traditam: *Auditor Pla-*
34 *tonis cum fuiſſet*, (Ariſtoteles) *in horto quodam ante Urbem aperto ludo, ſuos diſcipulos, a loci illius deambulatione, Peripateticos appellavit*. Hortum in quo degens philoſophatus Ariſtoteles, de quo modo meminit Suidas, pro celeberrimis Lycei deambulatoriis ſpatiis non accipiendum, quis non noverit? De eo porro, tanquam de obſcuriſſimi nominis loco, & nemini pene noto, Græcus hic ſcriptor loquutus apparet, dum ait, *in horto quodam*.

Generis ejuſdem infimi Palæſtras in Academiæ, Lyceique viciniis inventas, in quibus minus etiam nobiles Philoſophi, ac Sophiſtæ diſputare conſueverant, a Platonis *Lyſide* apertiſſime docemur. In harum quippe hortum aliquem fortaſſe deambulans Stagirita, occaſionem Suidæ dicendi præbuit, *in horto quodam*: & hunc

hunc facile ludum autumarem illum, quem adverſus vivum magiſtrum invidioſe aperuiſſe improbum diſcipulum ferunt vetuſtiores Græci ſcriptores, cujus a nobis jam mentio facta remanet, rejectuſque ſimul Ammonius, vel quiſquis eſt alius ille Stagiritæ propugnator inſipidus.

Ergo quoniam ubi ſedeat in Lyceo non habet Stagirita, inveſtigandum quomodo intelligi debeat illud *ἐκάθισεν*, *aſſedit* Laertianum; cujus ſi vim naturamque percipiamus, quidquid in hoc negotio atra obſcuritate offuſum, & Cymmeriis veluti tenebris obvolutum hactenus delituit, dicto citius, mea ſententia, in cujuſcunque conſpectum ſe dilucide proditurum. Non temere itaque ſuſpicor, illud *ἐκάθισεν*, a verbo *καθίζω* *ſedeo* ortum, a Laertio fuiſſe ſcriptum *ἐκάκισεν*, a verbo *κακίζω*, *deſpicio*, aut *vitupero*; ac incuria dein, vel auſu librariorum, ut mos illorum erat, K in Θ converſum. Quod quidem ſi factum, Laertianus ſenſus rationi vel quammaxime reſpondens hic eſſe deberet: *Quum vero plures congregaviſſet aliquando diſcipulos*, (Ariſtoteles) *deſpexit* (Xenocratem) *inquiens*:

Turpe tacere, Xenocratem autem ſinere oratorie dicere, & in Theſi inſtituebat diſcipulos, rhetorice ſimul eos exercens. Ecce addo uti Græce legerem Laertii locum eundem: *ἐπειδὴ δὲ πλείους ἐγίνοντο ἤδη, καὶ ἐκάκισεν, εἰπών*:

Αἰσχρὸν σιωπᾷν, Ξενοκράτης δ' ἐᾷν λέγειν,

καὶ πρὸς θέσιν συνεγύμναζε τοὺς μαθητὰς, ἅμα καὶ ῥητορικῶς ἐπασκῶν.

Velim tamen monitum in Græcorum literis doctos, verſiculi verbum *λέγειν* ab Aldobrandino *dicere* expoſitum, mihi *oratorie dicere* vertendum arriſiſſe & quod id Græcum non reſpuat verbum, & quoniam ſic doceamur, quidquid non fuerit pulcre, & *oratorie* dictum, hoc pro

ſilen-

Digitized by Google

ſilentio ab Ariſtotele habitum; niſi velimus perperam, inepteque omnino Stagiritam fuiſſe locutum. Ut vero conſtanter magis, rationiſque ad normam oratio procederet exiſtimavi, punctum poſt illud λέγειν penitus abolendum, ſic dictantibus Græcis codicibus, & recte; quum ſtatim poſt verbum ſequatur copula ϗ. Quoquo tamen modo ſe res habet, quæ nunc expoſui, ne a Græce eruditis veluti dicta excipiantur rogo, ac ſi quis aliter ſenſerit, mihi cum illo hujus rei controverſia futura: iſti enim ſententiæ tantum favere placet, quantum non levis patitur conjectura; quippe me ex illis non delectat haberi, qui dum librariorum inſectantur inſcitiam, produnt ſuam; ut Quintilianus ait.

Verum Tullius, tertio de Oratore libro, Ariſtotelem Iſocratis magis, quam Xenocratis gloria permotum, in arte dicendi proprios inſtituiſſe diſcipulos inquit. *Itaque* (ejus ſunt verba) *ipſe Ariſtoteles cum florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum videret, quod ipſe ſuas diſputationes a cauſis forenſibus, & civilibus, ad inanem ſermonis elegantiam tranſtuliſſet, mutavit repente totam formam prope diſciplinæ ſuæ, verſum quendam de Philocteta paulo ſecus dixit. Ille enim turpe ſibi, ait, eſſe tacere cum Barbaris; hic autem cum Iſocratem pateretur dicere.*

Thomas Aldobrandinus in hac re nequaquam Ciceroni
35 aſtipulatur, negans Philoctetæ verſum de Iſocrate pronuntiatum ab Ariſtotele, temporum ratione ſic poſtulante, ut ipſe dicit. Nam ſi, ut Laertius ait in vita Platonis, (laudati Aldobrandini verba ſunt) Iſocrates ſex annis ante Platonem naſcitur, vix veriſimile videtur, Ariſtotelem, qui decem, ac ſeptem natus annos Platonem audire incœpit, vigintique annos eum audivit, quique ſene jam Iſocrate docere incœpit, Iſocra-

cra-

cratis gloria ſic commotum, ut ſeni juvenis æmulatione ſtudiorum obtrectaret.

Equidem Aldobrandinum judicii hominem elegantiſſimi, pulitiorisque humanitatis minime expertem, hac occaſione demiror, quando curioſe jam priſcorum vitis Philoſophorum ſpectatis, mores, ingeniumque effugerit Stagiritæ. Notius eſt quam ut plura in id verba ſumenda ſint, quod ipſe Ariſtoteles proprium præceptorem ſummæ ſenectutis Platonem, & longe o- 36
mnium quicunque ſcripſerunt, aut locuti ſunt & copia dicendi, & gravitate principem, inverecunde ſpreverit, inſolenterque irriſerit. Si hoc verum, quemadmodum dubitari nequit, non eſt ut mirandum ſit, ſi Platonis coævum pene Iſocratem per audaciam impudenter laceſſiſſet.

Dionyſius narrat Halicarnaſſeus, Ariſtotelem Iſo-
cratis famæ obtrectaſſe, propptereaque a Cephiſodoro 37
hujus diſcipulo, mirabilis pro magiſtro Apologia concinnata, quam quatuor contentam libris ſignificat Athenæus. Num tamen apertæ ſimultates iſtæ revera
ſint aliquando cum Iſocrate habitæ, & an vivo, aut 38
eodem fato jam functo ſuſceptæ, paucis definire verbis non auſim; idque minus, ſi Ariſtoteli noſtro aliqua cum Iſocrate unquam controverſia fuerit. Hunc inter magis, aliumque illius ætatis Rhetorem, Ariſtotelem quoque nomine, natione tamen Siculum, ortam diſſentionem ſuſpicor; quum Siculus iſte fuerit, ut Laertius narrat, qui contra Iſocratis Panegyricum ſcripſit. Utcunque eſt; cui otium relinquitur, vireſque ſuppetunt, is enu-
cleabit, ſi forte nominum, ævique congruentia lucu- [illegible]
lentos ſane auctores eluſerit.

Aggrediar nunc quod ſupereſt; id autem unum ſupereſſe videtur, ut ea convellantur, quæ de Ariſtotelis

exquiſita ſcriptorum locutione, ornatuque gloriabundi jactitant Ariſtotelei. Narrat Laertius, Stagiritam auditores ſuos in Theſi, & Rhetorice ſimul exercuiſſe, quemadmodum paulo ante tetigimus; qua de re extat etiam Ciceronis aſſentio; is enim de Theſi ediſſerens
39 habet: *In hac Ariſtoteles adoleſcentes non ad Philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam Rhetorum in utramque partem, ut ornatius, & uberius dici poſſit, exercuit. Idemque locos (ſic enim appellat) quaſi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio.*

His, aliiſque Tullii commendationibus attendentes Lyceo addicti, facile ſibi ſuaſerunt, Ariſtotelis ſcripta admirabili quadam dicendi copia, maximaque orationis ubertate ab eodem fuiſſe exornata. Hoc nimirum argumento illum ignavo popello veluti maximum Philoſophorum proponunt, quemadmodum qui copiam, ſuavitatemque dicendi mirabiliter conjunxerit cum Sapientia. Ego vero, ne in hoc negotio pennas (ut ajunt) nido majores extendere videar, mediocris ingenii faſces, venerando, auguſtoque doctorum Senatui ſubmittam, nempe ex eodem Ciceroniano fonte veritatem ipſam puram putam haurire conabor primum; dein vero celeberrimorum virorum de ea re judicium afferam, ut poſtulante ſic veritate, tantus error a Peripateticis diffuſus aboleatur.

Hortatur Tullius Ciceronem filium, apud Cratippum philoſophum Athenas degentem, ut in philoſophicis, non quiete Græcorum philoſophorum more,
40 ſed comte dicere, ornateque aſſueſcat. Eidem propterea Latina ſua & Oratoria, & Philoſophica opera præ manibus habere jubet, quoniam *id quidem* (ait) *nemini video Græcorum adhuc contigiſſe, ut idem utro-*

que

Digitized by Google

que in genere laboraret, ſequereturque & illud forenſe dicendi, & hoc quietum diſputandi genus, niſi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi poteſt, diſputator ſubtilis, Orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere.

Et ecce Tullium apertis, ut dicitur, tibiis canentem, Græcorum philoſophorum neminem, Theophraſto, & Phalereo exceptis, Philoſophiam aliquantum cum Eloquentia conjunxiſſe: & quanquam iſti ambo in eo laboraverint, Rhetorum tamen more poſthabito, inveniuntur ſuavitate tantum ſermonis contenti. At ubi, quæſo, in hoc Ciceroniano Syllabo Philoſophorum in dicendo, ſcribendoque commendabilium, ipſius Stagiritæ nomen ſignatur? Si non adeſt; ne dulcedine eum ſermonis quidem delectatum, teſtimonio Tullii liquido apparet.

Præterea, divinitatem illam dicendi, quam blate-
rones Graii Theophraſto aſcribunt, extenuat cum Ci-
cerone Seneca, illum faciens, non *ut Græcis viſum eſt,* 41
*Divini; tamen dulcis eloquii virum, & nitidi ſine la-
bore*. Et revera is a præceptore ſuo Ariſtotele, non a
divino veluti ſermone, ſed ob probatam ejus locutio-
nem, *Euphraſtus* nominatus eſt, quum antea *Tyrta-
mus*, vel *Tytanus* diceretur; ſubſequentes deinde Græ- 42
culi prætermodum jactabundi, ac ſi Jovis fuiſſet ore lo-
cutus, eum nominavere Θεόφραστον.

Verumenimvero comtam, ornatamque locutionem
a Græcorum Philoſophorum more prorſus alienam fuiſ-
ſe ſemper, Græcoſque ſimul Oratores nequaquam phi-
loſophica pertractaſſe, Platonis, & Demoſthenis, Ari-
ſtotelis ipſius, Iſocratiſque exemplo, ab eodem Cice-
rone non obſcure didicimus. *Equidem & Platonem exi-
ſtimo* (ſunt ejuſdem Ciceronis verba) *ſi genus id forenſe* 43
dicendi tractare voluiſſet, graviſſime, & copioſiſſime

potuiſſet dicere. Et Demoſthenes, ſi illa quæ a Platone didicerat tenuiſſet, & pronuntiare voluiſſet, ornate, ſplendideque facere potuiſſet. Eodemque modo de Ariſtotele, & Iſocrate judico, quorum uterque ſuo ſtudio delectatus, CONTEMSIT alterum. Quid igitur magis a Tullio expectandum, Peripatetici, cujus veluti innixi ſententiæ, Ariſtotelicorum voluminum eloquentiam, dicendique ubertatem ad ſidera uſque jactabundi evehitis? Nonne ipſiſſimo docente Cicerone audiſtis, ſuo Philoſophiæ ſtudio delectatum Stagiritam, dicendi copiam, ornatumque ab eo fuiſſe poſthabitum, ac Philoſophorum more locutum?

Commendatione, judicioque Tullii ejuſdem non raro approbatam Ariſtotelis dicendi artem invenies, non inficiabor; verum quæcunque Orator ad hoc ſpectantia profert, non de Ariſtotelea ubertate, non de copia illius dicendi, neque de ornatu Scriptorum ejus, ſed magis de Rhetoricis tantum præceptis ab illo exhibitis accipenda ſunt. Hæc perquam facile noverit, qui ani-
44 mum, mentemque ad ea intendat, quæ idem ipſe Cicero per verba iſta docuit aliquando: *Atque inter hunc Ariſtotelem, cujus & illum legi librum, in quo expoſuit dicendi artem omnium ſuperiorum, & illos, in quibus ipſe ſua quædam de eadem arte dixit, & hos germanos hujus artis Magiſtros, hoc mihi viſum eſt intereſſe, quod eadem acie mentis, qua rerum omnium vim, naturamque viderat, hæc quoque adſpexit, quæ ad dicendi artem, quam ille* deſpiciebat *pertinebant. Illi autem qui hoc ſolum colendum ducebant, habitarunt in hac una ratione tractanda, non eadem prudentia qua ille, ſed uſu in hoc uno genere, ſtudioque majore.*

Ille igitur modo apud Tullium Stagirita apparet, ut qui ingenii quamvis perſpicacia Rhetorices præce-

pta

ptà tradiderit, ipſe vero dicendi gravitatem, jucundi-
tatemque ſcribens, *deſpexerit*, quemadmodum de na-
tura memoranti decebat Philoſopho. Tantumque abeſt
quin Philoſophi prima Naturæ elementa pertractantes,
de iis jejune non dixerint, quod iſtiuſmodi res dicere
ornate velle, puerile ſit, ex ejuſdem Oratoris ſenten- 45
tia. Quemadmodum & de quibus Philoſophi tenui quo-
dam, exanguique ſermone diſputant, Oratores cum 46
omni gravitate, & jucunditate explicant. Propterea-
que Zeno Rhetoricam palmæ extenſæ, Dialecticam pu- 47
gno ſimilem dicebat; Rhetorum nempe Orationem
apertam, ornatamve, Philoſophorum ſtrictam, com-
preſſamque ſignificans.

Atque ipſius etiam Oratoris teſtimonio, Philoſo- 48
phorum licet aliqui nitido quodam, & læto verborum
genere fuerint uſi, palæſtram tamen, & oleum, ut ip-
ſe inquit, illud ſapere videtur. *Mollis eſt enim Oratio
Philoſophorum*, *& umbratilis*, (alio loco ſcribit) *nec* 49
ſententiis, *nec verbis inſtructa popularibus*, *nec jun-
cta numeris*, *ſed ſoluta liberius*; *itaque ſermo potius*,
quam Oratio dicenda eſt. Quantum vero hæc ab illo di-
ſtet, tertio ad Herennium libro docetur: *Sermo eſt Ora-
tio remiſſa*, *& finitima quotidianæ locutioni*. Hac ita-
que locutione, eo uſos ſermone Philoſophos a Tullio
accepimus, ipſo non excepto Ariſtotele. Si modo Cice-
ronis teſtimonio demonſtratum habemus, a Philoſopho-
rum more quammaxime abhorrere orationis ubertatem:
quis e Peripato audebit aſſerere, exquiſita eloquentia,
& admirabili dicendi ornatu a Stagirita propria elucu-
brata volumina Tullii ſententia? calluerit quanquam ip-
ſe, docueritque præcepta Rhetorices.

Ad id oſtendendum, auctore utitur Carneade Cicero 50
ajente, neminem ſcriptorum artis, ne mediocriter qui-
dem

dem diſertum fuiſſe, repetens uſque a Corace, & Tiſia, quos artis illius inventores, & principes fuiſſe conſtaret. Et revera, non qui Citharæ chordas concinne ſuis aptaverit locis, ſed illas digitis harmonice concitans, is eſt citbariſta. Quamplurimos etiam Poeticæ præceptores paſſim invenies, quorum modulata carmina ſtomachum faciant. Sic Ariſtoteles, quamvis & præcepta Rhetoricæ, Tullii auctoritate, perdocte tradiderit, ubertatem tamen dicendi, ornatumque ſcribendi non habuit. Cujus ſi cauſam quæras, apud eundem quoque Orato-
51 rem hiſce invenies annotatam verbis: *Non omnia quæ loquimur, mihi videtur, ad artem, & præcepta eſſe revocanda*. Quippiam porro in Oratore, in eloquente ineſſe, cum ipſo Tullio arbitror, quod artis præcepta non præbent, quod eorundem magiſtri non habent, nec tradere poſſunt.

Poſtremo, Ariſtotelicæ eloquentiæ patroni oſtendere ſatagentes, Ariſtoteleorum voluminum exquiſitam elegantiam, tanquam in Aram, ad Ciceronis verba il-
52 la confugiunt, quibus Stagiritam, *Flumen Orationis aureum fundens* appellat. Verumenimvero quantum a janua, ut proverbio dicitur, iſti aberraverint, nullo liquebit negotio. Inibi quippe, non de re Oratoria agitur, nec propterea in medium adducitur Ariſtoteles, ſed contra Stoicum potius quendam Philoſophum affertur, inter cætera aſſerentem, Mundum in tempore factum, ardoreque tandem deflagraturum, habere & eum mentem, quæ & ſeipſum fabricata ſit, omniaque moderetur, moveat, regat. Verba Tullii ſunt hæc quæ apponam: *Cum enim tuus iſte Stoicus ſapiens ſyllabatim tibi iſta dixerit, veniet flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles, qui illum deſipere dicat, neque enim ortum eſſe unquam Mundum, quod nulla fuerit*

rit novo conſilio initio tam præclari operis inceptio, & ita eum eſſe undique apertum, ut nulla vis tantos queat motus, mutationemque moliri, nulla ſenectus diuturnitate temporum exiſtere, ut hic ornatus unquam dilapſus occidat.

Quis non videat Ariſtoteleam dicendi vim, copiamque minime hoc loco commendatam? Redarguitur Stoicus, non illius eloquio, ſed doctrina, placitoque Lycei, & Philoſophus Philoſopho, ut fas eſt, non Oratore refellitur. Dum *Flumen Orationis aureum fundens* nominatur Stagirita, tunc non extollitur tanquam in dicendo ornatus, & gravis. Hoc conſtans in Tullii voluminibus eſt, ut cum de Philoſophorum *Oratione* mentio fiat, non de Oratorum, ſed de communi *Locutione* ſit intelligendum. *Quanquam omnis locutio Oratio eſt,* (idem etiam docet) *tamen unius Oratoris locutio hoc* 53
proprio ſignata nomine eſt.

Ergo quoniam de Mundi æternitate impium illud Stagiritæ effatum ad rem propoſitam non parum tunc faciebat, videbaturque opportunitati quammaxime conſonum, veluti aurum omni exiſtimatione dignum ejus commendatur doctrina; idcircoque etiam aureas ſemper fundens ſententias dicitur auctor illius; ut nempe præclara doctoris laudatione, argumento vis addatur, & pretium. Sed ſit hoc aurum Gentibus carum, cordi ſit Infidelibus; ab eo tamen pii caveant, religioſique, ne vires experiantur auri Toloſani.

Ciceronis commendationem hanc ad Ariſtotelis ſcriptorum elegantiam non attinere, ullumque penitus cum illa habere commercium, pertinaces quoque, obſtinatique Peripati fautores profitentur. Hos inter heroicus quidam Lycei patronus, Oratione ad ſtudioſam juventutem habita, alio detorquere videtur verba illa Oratoris,

ris, ſcilicet, *quod Ariſtotelis libri pro bibliothecis eſſe poſſunt. Plurima enim ex veteribus monumentis, quæ interciderunt, citat, ac propter hujuſmodi floſculos, arbitror, Ariſtotelem a Cicerone, flumen aureum vocari.*

Quiſnam vero hujus cæteroqui non inelegantis interpretamenti auctor extiterit, diu multumque hæſitavi; etenim præfigatur licet integra Oratio ad Nicomachum
54 libris Lugdunianæ editionis, tamen nihilominus reticetur inibi nomen tanti Ἐγκωμιαστοῦ. Mirabar equidam, cur Lyceo addicti, fontem unde tot, tantæque manaverint magiſtri laudationes obcæcari, & oblivione veluti obrui ſiviſſent; idque magis, cum laudator ægregius, totos artus, nervoſque ad oſtendendum intenderet, quot, quantiſque bonis per Ariſtotelis doctrinam ditetur Eccleſia.

Et quanquam inſano quodam captus Lycei amore Orator is videretur, pius tamen, religioſuſque primum mihi habitus eſt. Deinde vero in Stagiritæ opera Francofurtanæ editionis forte incidens, intercidit omnis dubitatio, & quem veræ Eccleſiæ amore incenſum exiſtimaveram, ejuſdem inveni hoſtem acerrimum, oppugnatoremque exterminandum. Is, inquam, ille eſt Philippus Melanchthon, Confeſſioniſtarum parens, qui Lutheranam juventutem ad Philoſophiæ ſtudia exhortans, fucatis Ariſtotelis laudibus effutivit adeo, ut qui maxime. Cuncta ejus mendacia, ineptiaſque cachinnis potius, quam narratione dignas hoc loco perpendere pro ſupervacaneo duxi; Orationis tamen ſuæ initium hic addere non pigebit, ſcilicet ut e fimbria textum dignoſcatur.

Dicam de Ariſtotele (ſic enim exorſus) *non ut fit in panegyricis, ſed breviter ea, quæ de vita ejus comperi-*

perimus recenſebo: deinde de genere Philoſophiæ, & de ſcriptis ejus aliquid adjiciam, ut admoneam adoleſcentes, quodnam Philoſophiæ genus maxime probandum, atque expetendum ſit, & oſtendam quantum proſit ad Ariſtotelicam rationem, ac methodum aſſuefactum eſſe. Ita enim ſtatuo, ſine hoc neminem unquam fore artificem methodi ullo in genere. Nec vero fieri poteſt, quin multa falſa ſophiſtice miſceant hi, quibus ignota eſt via illa docendi, quam monſtrat Ariſtoteles. Porro hæc ſophiſtica quantum parit errorum, ac tumultum, non ſolum in Eccleſia, ſed & in Republica? In fabulis eſt, Ixioni, cum appetiſſet Junonem, objectam eſſe nubem Junonis ſpecie, ex qua nati dicuntur Centauri. Ita indocti, ex falſis opinionibus, ac ſophiſticis gignunt factiones Eccleſiæ exitioſas. Sed hæc poſtea erunt dicenda. Hæc ille.

Dic, omnium quos unquam Sol viderit ſceleſtiſſime: cujuſnam Eccleſiæ pacem Ariſtotelica methodo, Peripatique doctrina confirmare, ac tueri laboras, niſi abominabilis Lutheranæ illius, cui tu digniſſimus Antiſtes poſt illud monſtrum Lutherum præſtitiſti? Quod ſi ita, tibi, tuæque Ariſtotelicæ ſapientiæ propterea terga damus, ſciaſque, quidquid hac via tibi placebit, diſpliciturum & nobis, quibus nihil magis placet, quam diſplicuiſſe tibi. Sancta Catholica Eccleſia, non vulgari, & falſa doctrina, non Gentium artificiis, & deliramentis, ſed ſacris Scripturis, Patrum traditionibus, Conciliorum, Pontificumque decretis firmiter innititur, & tuetur, iiſque præſidiis ei pax conciliatur tranquilla, & tuæ cruenta bella, excidiumque paratur. Impia illa ſophiſmata, quæ Ariſtotelis Coryphæi tui magiſterio didiciſti deteſtamur; neque hortatione ulla efficere nunquam poteris, ut in Fidei rebus tali utamur præcepto-

ceptore: Piſcatoribus etenim credimus, non Dialecticis. Tu ſi auſu temerario Stagiritæ technis, tanquam Ajacis clypeo tectus, in Catholicam inveheris Eccleſiam; nos Apoſtolicam induti ſimplicitatem, nixus hoſce tuos quotidie, arridente Deo, irritos facimus. Sit venia, quæſo, abs re noſtra non longæ digreſſioni, Religionis veræ zelo habitæ.

Nullam inveniri in Ariſtotelis ſcriptis comtam, elegantemque dicendi copiam, ornatumque ſermonem, præter jam enarrata Ciceronis teſtimonia, oſtendit quoque Philoſophi ejuſdem affectata locutionis obſcuritas. Is porro tota volumina veluti oraculis implevit flexiloquis, & ambiguis adeo, ut non ſolum illa non facile intelligas, ſed etiam interpres egeat interprete, idque in caſſum non raro experitur.

Verum hoc quantum diſtet a ſuavitate loquendi, quid opus eſt verbis ad expromendum? Quid, quæſo, magis durum, incultum, horridum ipſa tenebricoſa oratione? Ego quantum in me eſt, minime potis ſum capere, qua via involuta, perplexaque ſenſa, & verba oblectatione jucunda avres, animumque audientium permulcere, atque allicere valeat. Ecquis locutionem
56 illam laudibus efferat, *quæ cum lumen adhibere rebus debeat, ei obſcuritatem, & tenebras afferat?* dicebat Cicero.

Tullii quoque ſententia eſt, oportere Oratorem &
57 rerum, & verborum claritatem ſequi, ut ab audientibus facile queat intelligi: *Et oratio, cujus ſumma virtus eſt perſpicuitas, quam ſit vitioſa, ſi egeat interprete?* Quintilianus ſciſcitatur: eoque deteriorem idem habebat Oratorem, quo illius Oratio videretur obſcurior.

Quid quæris? ab ipſo ipſiſſimo Stagirita eo nomine Heraclitus ille Philoſophus Epheſius inceſſitur acerri-

me,

Digitized by Google

me, quod ſcilicet de natura nimis obſcure memoraverit, propter eaque apud Grajos Σκοτεινὸς appellatus. 58
Idemque docet, in eo præcipuam locutionis laudem verſari, ut perſpicua ſit, atque dilucida; ideoque natam Orationem, ut mentis ſenſa adaperiat, quæ ſi obſcura ſit, proprium non aſſequitur finem.

Dictionum illam eſſe deteriorem, cujus ſententia facile perſpici nequeat, in dicendi arte præcellentium magiſtrorum calculis, ipſo non abnuente Ariſtotele, ſatis demonſtratum cenſeo; nunc oſtendendum reſtat, tenebricoſum fuiſſe quoque Stagiritæ ſermonem, ut a fronte, a tergo, a lateribus teneantur Ariſtotelei. Nobiles Graii Peripati ſtudioſi, fautorumque Stagiritæ laudum non nemo unanimi conſenſu adverſus illius implicitum, & quod omnem captum effugiat dicendi genus clamitant. Themiſtius Ariſtotelis ſcriptis de compoſito caliginem quandam offuſam fatetur. Quemadmodum & furori ſimile eſſe, alio loco ait, ſi quis ſperet 59
ſe ex Ariſtotelis libris ſententiam ejus penitus aſſecuturum.

Perquammulta ad id attinentia in unum collegiſſe Lodovicum Vivis invenio, quæ propriis ejuſdem hic ſub- 60
nectam verbis, quum melius a nemine tradenda arbitrer. Quantam hic (de Stagirita dicere intelligit) potuiſſet afferre utilitatem omnibus diſciplinis? quantam lucem? ſi quæ vel ab aliis accepiſſet, vel inveniſſet ipſe, aut reconcinnaſſet, aperte, ac dilucide voluiſſet prodere. Sed tum ipſe obſcuravit conſulto ſua, tum fortuitæ aliæ obſcuritates acceſſerunt, quæ aquam fontis hujus in fiſtulas perturbatam mitterent. Primum, ut ſcriptores omnes, qui ante ipſum fuiſſent carpſerat, callido, & vaſro vir ingenio, talionem veritus, ſententiis eſt uſus ambiguis, & in utrumque latus flexibilibus, ne quis

Digitized by Google

etiam exiſteret, qui ipſius dicta laceraret... Nec ſolum obſcuritas fuit in rebus ſenſorum, ſed etiam in verbis: affectavit enim quoddam dicendi genus preſſum, & aſtrictum, Attico etiam brevius, & contractius, ut interdum non tam eloqui videatur, quam res indicare.

Hæc eſt igitur exilis, hæc affectata, obſcura, tenebriſque involuta, ut ajunt, Cimmeriis Ariſtotelica locutio. Qua, quæſo, via preſſus iſte ſermo, & aſtrictus, ad proprios occulendos ſenſus de induſtria elaboratus, tam dulcis, tam fluens, tanque perelegans eſſe poterit, ut, ſi Peripateticorum verbis ſtandum, ab Stagiritæ pectore, non aliter ac e Neſtoris lingua melle dulcior fluebat Oratio? Multa ingenii ſui dexteritate is congeſſit, verum eſt; ſed illa tam parum exculta, atque expurgata poſteris reliquit, ut non aliter ſit admirandus, ex laudati Vivis ſententia, quam diligens auri, vel foſſor argenti, qui maſſas ingentes e terræ venis eruerit.

Multigena lectione præclarus Franciſcus Patricius captioſam ſermonis Ariſtotelici obſcuritatem, eorundem Themiſtii, & Simplicii etiam auctoritate pateſacit:
61 Ariſtoteles autem, ait, loco omnis alterius velamenti, obſcuritatem verborum, clauſularum, ſententiarum, argumentorum, methodorum elegit, eiſque ita uſus eſt, ut occaſionem dederit Themiſtio viro magno fautori, ac ſectatori ſuo affirmandi, eum ita ſcriptis ſuis obſcuritatem inſperſiſſe, ut ſepia cum ſeſe piſcatoribus occultare vult, atramentum aſpergit. Et Simplicius, Prolegomenis in Prædicamenta clare ſcripſit: Nec vero fabulis, nec ſymbolicis ænigmatibus, ut ante eum quidam, Ariſtoteles eſt uſus, ſed loco omnis alius velamenti, obſcuritatem elegit. Ita Patricius.

Jam Atticus Platonicus philoſophus omnium primus nuncupaverat Ariſtotelem *Sepiam*, eo quod quemadmo-

dum

Digitized by Google

dum Sepia piſcis, ne a piſcatoribus deprehendatur, atramentum effundit ſuum, cujus ſub umbra ſit in tuto; ſic Stagirita, in rebus illis, in quibus vel furto, vel errore capi dubitaverat, ſermoni obſcuritatem offudit, & ſic, aſtutus homo, omnia miſcens, aciem callide deludebat.

Id tenebricoſum ſcribendi genus adeo Ariſtoteli proprium, ut docti viri ex ipſa Peripati cohorte, quidquid ſermone aperto, exornataque oratione, ſub illius nomine evulgatum invenerint, id ei attribuendum vel quammaxime dubitaverint. Olympiodorus Philoſophus Alexandrinus inter Ariſtotelis interpretes non ignobilis, ingenue profitetur, primum Meteororum librum eo argumento Ariſtoteli minime aſcribendum, quod in illo conſtans, apertumque dicendi genus inveniatur. Idemque Vivis aſſeveranter tenet, librum *de Mundo ad Alexandrum*, ejuſdem non eſſe cenſendum, eo quod *ipſa dictio pleriſque in locis comtior eſt, & floridior, atque etiam, ut ſic dicam, laſcivior, quam Ariſtotelica.* 62

Viro genere, & doctrina per quam Illuſtri Joanne Franciſco Pico Mirandulano narrante, Themiſtius in aggredienda in Analyticos paraphraſi docet, obſcura in Ariſtotele multa, & ad occultandum potius, quam ad aperte prodendum ſcripta videri, idque data opera, quemadmodum indicare videntur illa ejuſdem verba πολλά μὲν ὖν ἔοικεν ἐπὶ κρύψιν τῶ Ἀριστοτέλους βίβλων μεμηχανεῖσθαι. Idem Themiſtius eo in opere, cui duplex eſt titulus, Βασανιστὴς, καὶ Φιλόσοφος, in Ariſtotelis doctrina, ſcribit, neſcio quid σκολιὸν, καὶ διάστροφον, hoc eſt, obliquum, tortuoſum, atque verſatile inveniri. Andronicus Rhodius, qui ejus librorum poſt effoſſionem corrector, & compoſitor fuit, de Xenocratis agens dogmate putat, quod etiam Themiſtius refert, ea ſcripſiſſe Ari- 63

ſe Ari-

Digitized by Google

ſe Ariſtotelem, quæ non poſſint intelligi, & quæ ab aliis recte, ab Ariſtotele non recte dicta, & interpretata.

Verumenimvero priſci non tantum ex Peripatetica familia ſic de ſcriptis Ariſtoteleis judicare viſi ſunt, ſed & recentiores quoque Scholaſtici id nequaquam negare ſunt auſi. Petrus nanque Fonſeca Jeſuita, rei evidentia captus aliquando, magiſtrum a tanta levitate ſcribendi vindicare ſatagens, eundem hoc modo apertiſſime ac-
64 cuſat: *Quod ſi Ariſtoteles pleraque tradidit, quæ explicatius & politius, & omnino melius ſcribere potuiſſet, condonandum id facile eſt. Ut enim primus erat, partim in inveniendis, & ad ſua initia redigendis rebus, ita non ſatis potuit omnia eo cultu orationis ſcribere, quo ſolent ii, qui cum ea tractent, quæ plane comperta habent, ad ſolam ſcribendi rationem attendunt.*

Quum jam demonſtraverim obſcuram, tenebricoſamque extitiſſe Ariſtotelis Orationem, Peripateticis, quibuſcum res eſt, Peripatetico ſic more loquar, ut illorum maniſeſtiſſimum convincam errorem. *Longe*, inquam, *lateque obſcurus ſermo a comta, & exquiſita locutione diſtat, artis dicendi magiſtrorum, ipſiuſque Ariſtotelis decreto; ſed Ariſtotelicis libris tetram obſcuritatis caliginem ab eodem offuſam, illuſtriores Græci Peripatetici, recentioreſque Latini perhibent; igitur in Ariſtotelis libris nullam elegantiam, exquiſitamque locutionem inveniri neceſſario affirmandum eſt.*

Promiſſi denique noſtri pars altera fuit, inelegantiam Ariſtotelicæ dictionis celebriorum auctoritate virorum comprobare; idque aggredior exequi, ut addam huic Paragrapho Colophonem. Divi Baſilii Græci, & Eccleſiæ Doctoris eximii, cujus laudes in dicendo, docendoque nulla unquam obſcuratura eſt oblivio, conſtan-

Digitized by Google

ſtantiſſima fuit ſententia, a Dialogis ſcribendis ſe abſtinuiſſe Ariſtotelem, *quod deſtitutus copia, & ſuavitate, ſibi conſcius eſſet penuriæ cujuſdam dicendi*. 65

Eodem accedit eruditiſſimi Cardinalis Beſſarionis humiliter, & demiſſe de Stagiritæ locutione ſentientis judicium, propterea quod is *ſemper ſervat quietum illud, & remiſſum, & ad docendum idoneum genus dicendi ſine ulla exornatione*: quo etiam loco Theophraſtum longe magiſtro copioſiorem, ornatioremque facit. Judicis hujus ſententiæ inhærendum libenter & quod natione fuerit Græcus, deque horum literis oppido quam peritus; & quoniam Stagiritæ, ac Theophraſti nonnulla in vocem Latinam e Græca lingua tranſtulerit aſſiduitate exquiſita. Præter hæc, quum in Ariſtotelea Oratione Nazianzenus, Ireneus, & Tertullianus nullum inveniſſent pulegium, nullam ſuavitatem, ubertatemque, 66 illam appellavere *Minutiloquium*; cujuſque etiam ſcripta veluti *Spineta* Hieronymo habita.

Jamdudum de Ariſtotelis comta, ornataque locutione dubius hærens Franciſcus ille Petrarcha, qui bibliothecas tandiu clauſas reſeravit primus, & pulverem ſitumque e monumentis maximorum auctorum excuſſit, errori ne publico de Stagiritæ eloquentia taciturnus obſequeretur, furentique cederet vulgo, an vera potius e latebris in apertum erueret; ingenuus denique, elegantiſque judicii vir, poſt multa hæc addidiſſe comperimus: *In libris tamen ejus, qui ad nos venerunt, ſane certa fides eloquentiæ veſtigium nullum eſt*. 67

Animos igitur, viresque colligant, intendantque nervos omnes Lycei amore præter modum correpti, ſi lubeat ut cæteri de eximia Ariſtotelis eloquentia bene cum eis conſentiant. Adverſus Ciceronem inſurgendum ab illis eſt ajentem, Peripati Corypheum ne orationis

qui-

quidem dulcedine uſum. Reſpuendi Themiſtius, Simpliciuſque Græci Peripatetici affirmantes, atram eum caliginem propriis offudiſſe voluminibus. Divo Baſilio adverſandum fas erit, illi dicendi penuriam imputanti. Beſſarion Cardinalis redarguendus, quietum Ariſtotelis ſcribendi genus, & abſque ulla exornatione exiſtimans. Invehendum quoque in Nazianzenum, Ireneum, ac Tertullianum, ejus *minutiloquium* criminatos. Tandemque Divo Hieronymo reſiſtendum, Stagiritæ ſcripta tanquam *Spineta* palam prædicanti.

At cuinam illorum animus, vireſque ſuppetent hanc tueri Provinciam? Quamobrem nemo tot, tantorumque eloquentiæ magiſtrorum teſtimonia,& judicium reſpuet, Lycei medii ſectatores plerumque artis dicendi inſcientes dicam, rudeſque ſecuturus, quos ob hoc maxime erraviſſe, quod loquendi facultate caruerunt, ut in libris ſuis de Dialectica oſtendit Laurentius Valla. Quis ſecundis illos auribus hoc in negotio excipiet, quando non tantum Stagiritæ Græcum idioma prorſus ignoraverint, ſed & Latinum quoque e Scholis pene abdicatum ab eis? Novis loquendi modis, exoticiſque vocabulis a barbariei fæce expiſcatis, ſcholaſticam linguam effinxere, tot in Dialectis diſpertitam, ut Schola una aliam non intelligat.

Non ſolum hoc, ſed ne Stagiritæ artes, Peripatique Næniæ rite intellectæ celebritatis jacturam feciſſent, quibus primum animus fuit inania, futiliaque interpretamenta exquiſitiori calamo exarare, Vatiniano illos ſunt odio proſequuti, & veluti criminis læſæ Ariſtotelicæ Majeſtatis reos, ad necem, ad venena damnarunt. Pudet, & piget talia referre, & tamen non ſunt digna ſilentio. Audiamus Lucillum Philaltheum, non minus Græce, quam Latine doctum, Ariſtoteliſque aſſiduum

enar-

enarratorem, ſic de ſe ipſo loquentem: *Primo porro tempore, quo Phyſicen philoſophandi rationem melioribus eloquendi, aut ſcribendi temperare præceptis, & inſtitutis ſum auſpicatus, in multorum obtrectationes, calumnias, & invidiam adeo incidi, ut vix cum ſummo etiam vitæ periculo ſubſiſtam. Sed de veneni generibus aliàs.* 68

Quid hoc in negotio definiendum relinquitur? Quid? Ariſtoteleum ſermonem neque abundare pulegio, neve fulgere elocutionis ornatu, neve medios Peripateticos facti hujus idoneos æſtimatores habendos. Nec de iis decernendis, ad primos Lycei Græcos aſſeclas, tanquam ad aptum judicem eſſe accurrendum; etenim hos quoque, re bene perpenſa, pediſequos invenies Ψευδοπαιδείας. In hac re teſtem citabo Thebanum illum, cujus ex ore nihil non rectum, nihil non conſideratum exibat; Cebetem dico, Platonis, Socrate magiſtro, condiſcipulum, & qui naſcentem vidit Peripatum. Iſte porro Tabulam ad formandos hominum mores ſane commode verbis depingere aggreſſus, inter Eruditionis falſi nominis aſſeclas locat ſui ævi Peripateticos: Οὗτοι δὲ οἱ ἔσω τοῦ περιβόλου ἀνακάμπτοντες τίνες εἰσίν; Οἱ τῆς Ψευδοπαιδείας, ἔφη, ἐρασταὶ ἠπατημένοι, οἰόμενοι μετὰ τῆς ἀληθινῆς Παιδείας συνομιλεῖν. Τίνες οὖν καλοῦνται οὗτοι· οἱ μὲν Ποιηταὶ, ἔφη, οἱ δὲ Ῥήτορες, οἱ δὲ Διαλεκτικοὶ, οἱ δὲ Μουσικοὶ, οἱ δὲ Ἀριθμητικοὶ, οἱ δὲ Γεομέτραι. οἱ δὲ Ἀστρολόγοι, οἱ δὲ Ἡδονικοὶ, οἱ δὲ ΠΕΡΙΠΑΤΗΤΙΚΟΙ, οἱ δὲ Κριτικοὶ, καὶ ὅσοι ἄλλοι τούτοις εἰσὶ παραπλήσιοι. Cebetis verba ſunt hæc omnia, quæ ut revera veluti in Tabula, veteri proverbio, cunctis appareant, ecce addo Latinum ſenſum illorum. *Iſti vero homines*, (interrogatur ſenex) *qui intra ſeptum obambulant, qui ſunt? Falſi nominis Eruditionis amatores* (inquit) *decepti,*

atque opinantes, ſe veræ Eruditionis frui conſuetudine. Quibus ergo nominibus appellantur iſti? Alii Poetæ (inquit) *alii Oratores, alii Dialectici, alii Muſici, alii Arithmetici, alii Geometræ, alii Aſtrologi, alii Voluptuarii, alii PERIPATETICI, alii Critici, cæterique horum non diſſimiles.*

Verum quoniam talia dixerim, omnium video in me Lycei ſectatorum ora, oculoſque inimice eſſe converſos. Excuſatum me habeant rogo; etenim ille ego non ſum, qui vulnus inflixi, ſed obductam tantum refricui cicatricem. Ingenuæ profecto amicitiæ ſpecimen eſt, & in ægrotantes officium ſerpentia, ſordidaque ulcera manu medica patefacere. Et ſi libenter in amicis habeam Peripateticos, tamen ejuſdem Stagiritæ veſti-
69 gia ingreſſus, Veritatem eis anteponendam duxi; Ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον ἀποτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν: *Nam cum ambo ſint amici, ſanctum eſt honori Veritatem præferre.* Ipſius Ariſtotelis monitum eſt de Socrate, & Platone loquentis.

PARTIS PRIMÆ
§. VI.
LAERTII DIOGENIS VERBA.

SED tamen poſtea ad Hermeam eunuchum Atarneæ tyrannum profectus eſt, quem nonnulli ajunt ab eo amatum; quidam affinitatem quoque cum eo conjunxiſſe ferunt, filia, ſive fratris filia ei in matrimonium collocata, quemadmodum

Digitized by Google

admodum ait Demetrius Magnes in libro de Poetis, ſcriptoribuſque ejuſdem nominis; qui etiam Eubuli ſervum Hermeam extitiſſe tradit; Bithynium genere, qui dominum interſecerit. Ariſtippus in primo libro de antiquorum deliciis, Ariſtotelem Hermeæ pellicem amaviſſe dicit, quo ſibi concedente & illam uxorem ducit, & gaudio elatus, mulierculæ eodem modo ſacrificavit, quo Athenienſes Eleuſinæ Cereri facere ſolent, atque ipſi Hermeæ Pæana ſcripſit eum, quem infra adſcripſimus.

COMMENTARIUS IN §. VI.

Hermeam eunuchum Atarneæ tyrannum, ad quem 1
proficiſcitur Ariſtoteles, hujus quandoque & diſcipulum fuiſſe, & amaſium alio loco dixi. Strabo illum Strapezitæ cujuſdam, Demetrius vero Magnes, Eubuli ſervum, antequam dominaretur, faciunt; ſed
utrunque fieri potuit, quum ter venditus a laudato Sui- 2
da habeatur. Domino in Regno ſucceſſit; at nefarie quidem, quippe illum interſecerat. Dum apud Hermeam commoratur Stagirita, illius concubinæ ſtulto amore corripitur.

Miſerandum Eunuchum! Poſteaquam, adoleſcens, ſui copiam feciſſet magiſtro, is, cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine, illum curat la-
queo ſuſpendendum. Ob affectatum Regnum proprii 3
domini fœda nece partum, conſcientia ei forte animum verberante, ad Memnonem Rhodium Perſarum ducem, ſimulata amicitia accerſitus, conferre ſe recuſat Hermias. Ad vocantem vero, malis artibus illum accedere hortatur nequam Ariſtoteles, ut ſic (quod autumo) Eunucho e medio ſublato, ejuſdem ſcorto ipſe quam bre-

Digitized by Google

viſſime potiretur. Ita profecto cecidit; etenim magiſtri technis captus improvidus Hermias, per fidem pergit ad Memnonem, a quo dolo malo comprehenſus, ad Regem Perſarum mittitur, & ab hoc ſuſpendi laqueo, vel, ut alii, necari veneno jubetur.

Quis talia ſibi ſuadeat? & tamen ita factum; nam *Ariſtoteles familiarem ſuum Hermiam turpiter loco ex-*
4 *cedere fecit*, teſtatur Tertullianus. Etſi Pythiadam ab ipſo Eunucho Stagiritæ largitam dicat Ariſtippus; Ari-
5 ſtocles vero Peripateticus, *Ariſtotelem poſt Hermiæ obitum, Pythiadam in uxorem duxiſſe* ſcribit.

Verſutus nihilominus homo, omnium ſcelerum, libidinumque maculis notatiſſimus, deteſtandum ſcelus diſſimulatis officiis contegere ſatagens, lacrymas fundit crocodili. Proditi amici ſtatuæ in Delphico templo poſitæ, hoc Epigramma curat primo inſcribendum:

Τόνδε ποτ' ὀυχ ὁσίως παραβὰς μακάρων θέμιν ἁγνὴν,
Ἔκτεινεν Περσῶν τοξοφόρων βασιλέυς.
Οὐ φανερῶς λόγχῃ φονίοις ἐν ἀγῶσι κρατήσας,
Ἀλλ' ἀνδρὸς πίςει χρησάμενος δολίυ.

Cujus eſt ſenſus, Iſaaco Caſaubono expoſitore:

Hic jacet Hermias infanda cæde peremtus
Perſarum a ſævo Rege ſagittiferûm.
Non illum arma feri valuerunt perdere Martis;
Perdidit at blandum nomen amicitiæ.

Deindeque vero ejuſdem laudes hujuſmodi Hymnò modulatus eſt, ex Græca Aldobrandini lectione:

Ἀρετὰ πολύμοχθε γένει βροτείῳ,
Θήραμα κάλλιστον βίῳ,
Σᾶς πέρι, παρθένε, μορφᾶς,
Καὶ θανεῖν ζηλωτὸς ἐν Ἑλλάδι πότμος,
Καὶ πόνυς τλῆναι μαλεροὺς ἀκάμαντας.
Τοῖον ἐπὶ φρένα βάλλεις καρπὸν εἰς ἀθάνατον,

Χρυ-

Χρυσοῦ τε κρεῖσσον, καὶ γονέων,
Μαλακαυγητοῖοθ' ὕπνου.
Σοῦ δ' ἕνεκ' ἐκ Διὸς Ἡρακλέης
Λήδας τε κοῦροι πόλλ' ἀνέτλασαν
Ἔργοις ἀναγορεύοντες δύναμιν.
Σοῖς τε πόθοις Ἀχιλλεὺς,
Αἴας τ' ἀΐδαο δόμους ἦλθον:
Σᾶς δ' ἕνεκεν φιλίου μορφᾶς
Ἀταρνέως ἔντροφος
Ἀελίου χήρωσεν αὐγᾶς.
Τοὶ γὰρ ἀοίδιμος ἔργοις
Ἀθάνατοί τέ μιν αὐξήσουσι Μοῦσαι,
Μναμοσύνας θύγατρες,
Διὸς ξενίου σέβας αὔξουσαι,
Φιλίας τε γέρας βεβαίου.

Quem Hymnum ita Caſaubonus ipſe e Græco in Latinum convertit. 6

O Virtus, quæ magnis laboribus conſtas
Generi mortalium,
Quæque pulcherrima res es, quam quiſquam toto
vita parare ſibi poſſit.
Tui cauſa, o Virgo formoſiſſima,
Vel mori in Gracia felix ſors exiſtimatur,
Nedum labores tolerare, quamvis duros,
Et intolerabiles. Talis tu
In animis hominum *excitas*
Spem *fructus immortalis,*
Auroque potioris, & parentibus,
Mollique ſomno.
Tui cauſa, o Virtus, & *Hercules* ille Jovis filius;
Et Ledæ nati Dioſcuri multa perpeſſi ſunt,
Præclaris facinoribus ſuis tuam vim prædicantes;
Tui etiam deſiderio, dum tibi ſerviunt *Achilles,*

Ajax-

Ajaxque occubuerunt.
Tuam vero amabilem ob formam
Etiam Atarnei alumnus Hermias
Solis luce, ac vita ſe *privavit.*
Itaque clarus erit in poſterum ob facta ſua,
Muſæque immortales eum decorabunt
Mnemoſynes filiæ,
Et Jovis Xenii jura colentes,
Et firmæ amicitiæ officium præſtantes.

Verum Eunuchi tumulo appoſitum, quod paulo ante memoravi, Epigramma, auctoremque illius Stagiritam, quatuor Græcis verſiculis iſtis irriſit Theocritus Chius:

Ἑρμείου εὐνούχου, ἠδ᾽ Εὐβούλου ἅμα δούλου,
Σῆμα κενὸν κενόφρων τεῦξεν Ἀριστοτέλης.
Ὅς διὰ τὴν ἀκρατῆ γαστρὸς φύσιν εἵλετο ναίειν,
Ἀντ᾽ Ἀκαδημίας, Βορβόρου ἐν προχοαῖς.

Etſi prius tantum Diſtichum a Laertio noſtro habemus; alterum vero apud Plutarchum, Euſebiumque invenies, quorum omnium hæc ſunt ſenſa, eodem Caſaubono interprete.

Hermiæ eunucho ſimul & ſervo monumentum
Inane, inanis hic Stagirita poſuit.
Qui ventri addictus, miſer, accoluit lutulentum,
Fœdumque Borborum, relicta Academia.

Utcunque Pythiadam nactus Ariſtoteles, gaudio perfuſus adeo eſt, ut meretriculam in uxorem duxerit, ejuſque in honorem ſacrificium fecit, non ſecus ac Eleuſinæ Cereri conſueverant Athenienſes. Immundum hoc Stagiritæ flagitium, Theocriti Chii, niſi me fallo, aperit mentem, oſtenditque, cur illum carminibus ſuis appellaverit *Borboritam*. Eſt enim apud Pellam cœnoſus quidam fluvius, Macedonibus Βόρβορος dictus prope-

pterea, quod ea vox Græcis idem eſt ac Latinis *Sordes,* *Lutumque*. Deludens quamobrem Poeta Ariſtotelem lupæ ſacrificantem, veluti hominem cœno turpiſſimarum libidinum merſum, *Borbori*, ſive *Luti* incolam appellat; ac ſi illum dixerit *Sordeſcentem ſcortatorem*. Sic apud Tullium homines nequam, obſcœnoſque, *Sordes,* & *Lutum* paſſim nominatos invenies. Sic etiam Βορβορῖται hæretici quidam dicti fuere, quod nempe turpiſſimas libidines ſacris immiſcerent ſuis, & quorum execrandos ritus narrat Divus Epiphanius. 8

Repetita familiaritas Stagiritæ cum Hermia proprio obſoleto; immunda iſta ſacrificia idque turpe cum lupa conjugium, illius ævi Poetis occaſionem præbuere, ſuis illum carminibus deridendi. 9

Neque me fugit a Suida narratum, Pythiadam Ariſtoteli nuptam, non quidem ſcortum, verum & Hermiæ fuiſſe filiam. Sed age narrationis contextum perpendamus, videamuſque, num quæ afferuntur, veritati poſſint accedere. De Hermia enim verba faciens ipſe Suidas, primum ait: *Hic Eunuchus ille eſt ter vendi-* 10
tus Ariſtotelis familiaris, cui filiam ſuam adoptivam in matrimonium collocavit. Et en habemus Pythiadam Hermiæ filiam adoptivam: deindeque poſt pauca idem hæc ſcribit: *Hic Hermias quantumvis confractis eſſet teſticulis, tamen ex uxore ſua filiam Pythiadam procreavit*; idque in verbo *Ariſtoteles* iterum apertiſſimis ſignificat verbis.

Quid ſibi hæc tam inter ſeſe pugnantia velint, ſcrutari fas eſt. Sed oleum perdere, operamque erit velle, quæ ita ſcripta ſunt, ut nullimode percipiantur exquirere. Si enim Pythiada Hermiæ filia fuit adoptiva: quomodo deinde dicitur, illam a propria uxore Eunuchum, præter omnem Naturæ morem habuiſſe? Aut quando-

nam

nam filii a proprio parente in adoptione fuere ſuſcepti? Si Pythiadam adoptavit in filiam Eunuchus, illam profecto non genuit; ſin vero eandem procreavit, ipſe non fuit Eunuchus.

Hiſce in anfractis ubi pedem firmiter ponam non invenio, niſi pro comperto habeam, quod erubuerit Suidas aperte referre, quæ non puduit non tecte feciſſe Ariſtotelem; contentus fortaſſe ille, narrationis obſcuritate, facti obtegere turpitudinem.

PARTIS PRIMÆ

§. VII.

LAERTII DIOGENIS VERBA:

INDE in Macedoniam ad Philippum profectus eſſe dicitur, ab eoque Alexandrum filium diſcipulum accepiſſe, eumque rogaviſſe, ut patriam ſuam a Philippo everſam reſtitueret, idque impetraviſſe, cui etiam leges dediſſe fertur; quin etiam Scholam legibus inſtituit, Xenocratem imitatus, ut ſingulis decem diebus Archontem crearet. Poſtea vero quam quod ſatis eſſet apud Alexandrum fuiſſe ſibi viſus eſt, Calliſthene Olynthio propinquo ſuo ei conciliato, venit Athenas, quem quidem liberius cum Rege loquentem, eique minus obtemperantem, reprehendens, dixiſſe fertur:

Cito periturus mihi nate eris, qualia loqueris.

Quod ita factum eſt: in ſuſpicionem enim adductus Hermolai in Alexandrum conjurationis ſocius fuiſſe, in cavea

vea ferrea, pediculis, & ſordibus ſquallens circumſerebatur, poſtremo leoni abjectus interiit.

COMMENTARIUS IN §. VII.

RES profecto ſedula animadverſione digniſſima ſe modo nobis offert. Vix enititur Olympias, quando ejus vir Philippus terræ Macedoniæ Rex, natum ſibi eſſe filium Alexandrum Ariſtoteli per Epiſtolam ſignificat. Ipſius autem Philippi verba hæc fuiſſe fertur:

ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΕΙ ΧΑΙΡΕΙΝ. 1

Ἴσθι μοι γεγονότα υἱὸν, πολλὴν οὖν τοῖς θεοῖς χάριν ἔχω. οὐχ οὕτως ἐπὶ τῇ γεννήσει τοῦ παιδός, ὡς ἐπὶ τῷ κατὰ τὴν σὴν ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι, ἐλπίζω γὰρ αὐτὸν ὑπό σοῦ τραφέντα, καὶ παιδευθέντα, ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν, καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς.

PHILIPPUS ARISTOTELI S.D.

Filium mihi genitum ſcito, quod equidem Diis habeo gratiam, non proinde quia natus eſt, quam pro eo quod eum naſci contingit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, ut educatus, eruditusque abs te, dignus exiſtat & nobis, & rerum iſtarum ſucceſſione.

Apud quoſcunque rerum iſtarum ſcriptores pro comperto eſt, ætatis ſuæ anno ſecundo ſupra quadrageſimum ad Philippum pro inſtruendo Alexandro ejus filio perrexiſſe Ariſtotelem, ipſo tunc Alexandro quintumdecimum agente ætatis annum. Id ita factum; quando Regis accepit Literas Stagirita, non eum ætate majorem fuiſſe conſtat, quam ſeptem ſupra viginti annorum; eo ſcilicet tempore, quo vel miles ipſe, vel pharmacopola erat. Græcorum quippe ſcriptorum, præcipueque Eumeli teſtimonio jam edoctum a nobis eſt, 2

clauſa prius ab Ariſtotele medica taberna, diſſipata hæreditate paterna, militiaque infeliciter experta, ad Platonem tandem triceſimo ætatis ſuæ anno, Pythio ſuadente Oraculo, ſe contuliſſe.

3 At Apollodoro, non vero Eumelo aſſentiamur, concedamuſque, ſeptemdecim annorum Ariſtotelem ad Platonem acceſſiſſe: quid proinde? Quis facile ſibi ſuaſurus, pro erudiendo filio, Regnique ſucceſſore, tam anticipate expetitum a Philippo Ariſtotelem triceſimum adhuc non attingentem annum, quando ad tantum munus magis, magiſque idonei ætatibus ſuis cum laude florebant quamplurimi viri ſapientes? Ævo illo Stagiritæ nomen Græcorum os non ſolum non meruiſſe com-

4 pertum eſt, quin potius & illius vitam, & mores Plato ipſe exprobrabat, neque diſputationum ſuarum participem illum eſſe patiebatur. Nemo profecto unus credat, deſpectum a Platone diſcipulum, apud Græcorum quemvis in pretio habendum, ſi Plato ipſe adhuc vivus, veluti Philoſophorum Deus ab iiſdem colebatur.

Et ſi revera mirum, adeo magnifice de Ariſtotele a Philippo per Epiſtolam fuiſſe judicatum; non minus tamen in admirationem jure adducet quemcunque, quod poſteaquam totam educationis, eruditioniſque Alexandri ſpem in uno, ſoloque Ariſtotele locaverit Macedo-

5 num Rex; illius dein omnino oblitus, pueri inſtitutionem pedagogis aliis, aliiſque præceptoribus commendaverit, quibus omnibus Olympiadis propinquus Leonidas præerat. Nonne Syrtes ſunt hæc, in quibus impacta navi cum Regis ad Ariſtotelem miſſis Literis, illa naufragium fecerit?

In eadem quoque navi inventa Quintiliani, Hieronymique placita opinor aſſerentium, quæſitum a Philippo Ariſtotelem, ad prima literarum elementa puero

tra-

Digitized by Google

tradenda. Horum alter id per verba iſta expromſit: *An* 6
Philippus Macedonum Rex Alexandro filio ſuo prima literarum elementa tradi ab Ariſtotele ſummo ejus ætatis Philoſopho voluiſſet, aut ille ſuſcepiſſet hoc officium, ſi non ſtudiorum initia a perfectiſſimo quoque tractari pertinere ad ſummum credidiſſet? 7
Alter vero inquit, Ariſtotelem librariorum vilitate, Alexandro Philippi Macedonis filio initia literarum tradidiſſe. Ergone paſſus literarum elementorum ignorationem in Alexandro eruditiſſimus Philippus ad uſque illius quintumdecimum annum? Quicquam minus ſimile veri excogitari, aut dici poterit? bona hoc tantorum dixerim venia virorum.

Præterea; fuerit revera accerſitus Ariſtoteles a Philippo anno ætatis Alexandri decimoquinto: age perpendamus, poſt acceſſum Stagiritæ, quantum temporis hunc audiendi præceptorem diſcipulo datum, ut merito dici queat, Ethicam, Politicam, Artem medicam, Homeri Iliadem, & quod magis eſt, Α'κροαματικάς diſciplinas ab Ariſtotele, ut volunt, accepiſſe Regium puerum.

Fert Plutarchus, bellum adverſus Byzanzios gerente Philippo, tum Alexandro ſextum decimum ætatis annum agenti, Macedonicæ rei, ac Regni adminiſtrationem a patre delegatam. Tunc deficientes Megarenſes prælio ipſe fudit Alexander; captoque mox Oppido, expulſis vi barbaris, miſtos ad id habitandum induxit incolas, Civitatem Alexandropolim appellans. Ei quoque pugnæ, quæ contra Græcos geſta eſt in Chæronea, cum copiis affuit, primuſque contra ſacram Thebanorum cohortem irrupiſſe dicitur. Prolixiore oratione opus minime ad oſtendendum reor, hac occaſione, anni unius curriculo, & non amplius fuiſſe apud Alexandrum manere Ariſtoteli licitum. Quis porro ſibi ſuadeat, Regni 8

gubernaculis, perennique bello diſtracto adoleſcenti Principi, locum incumbendi ſtudio Philoſophiæ reliquum fuiſſe?

Hiſce dein Martis laboribus implicitus Alexander, annos ipſe natus viginti, moritur Philippus, & Regnum magnæ invidiæ, gravioribus odiis, atque periculis undique obnoxium in ejus poteſtate devenit, armorum rumore undequaque circumfluente, quo huc atque illuc anxie pertrahitur. Et erit hoc fortaſſe opportunum tempus audiendi Ariſtotelem de philoſophicis diſſerentem rebus? Ubi ſunt otia ad philoſophandum neceſſaria vigente armorum ſtrepitu? quando bene in unum convenere Mars, & Minerva? Quid ſi deinde addamus, itinerum Alexandri comitem, uno omnium conſenſu, nequaquam fuiſſe Stagiritam?

Quiſnam ergo fuerat Alexandri magiſter, ſciſcitabitur forte quiſpiam, ſi enuntiatas ſcientias eundem calluiſſe, Plutarchi, aliorumque teſtimonio conſtat? Quis? Dicam. Jam fuit ex eodem Plutarcho paulo ante narratum a nobis, pluribus uſum pedagogis, præceptoribuſque Alexandrum, antequam illum adiret Stagirita, a quibus talia accepiſſe commode potuerat. Nec ſi id factum eſt, quod fieri oportuit; inuſitatum quidem, inauditumque portentum debet videri, anni unius ſpatio tot, tantaſque diſciplinas a Stagirita puerum edoctum, quando pro *Acroamaticis* tantum addiſcendis, Neſtorea ætas habenda ſit curta ſupellex; & quo in ſtudio videmus otioſorum hominum ætates fruſtra eſſe contritas.

Quantum deinde veritatis noſtra hæc in ſeſe contineant, Plutarchus ipſe per verba iſta apertiſſime oſtendit: Ἔοικε δ' Ἀλέξανδρος οὐ μόνον τὸν ἠθικὸν, καὶ πολιτικὸν
9 παραλαβεῖν λόγον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀπορρήτων, καὶ βαθυτέρων δι-

διδασκαλιῶν, ἃς οἱ ἄνδρες ἰδίως ἀκροαματικὰς, καὶ ἐποπτικὰς προσαγορεύοντες οὐκ ἐξεφερόνεις πολλοὺς μεταχεῖν: *Videtur Alexander non ſolum Ethicum, & Politicum ſermonem didiciſſe, ſed etiam ſecretiorum, ac profundiorum doctrinarum particeps factus, quas* IJ VIRI *proprie Acroamaticas, atque Epopticas vocantes, non efferebant in vulgus.* Quinam, quæſo, habendi IJ VIRI, qui profundiores, ſecretioreſque tradiderant Alexandro doctrinas? Forte Ariſtoteles? nequaquam profecto; quum id Plutarchus, non ad unum, ſed ad plures referat, *οἱ ἄνδρες,* IJ VIRI, ſcribens; qui quidem, ut autumo, præceptores illi exiſtimandi, de quibus antea ſermo a nobis, ejuſdem Hiſtorici narratione, habitus eſt.

Icciirco luce clarius apparere crediderim, merum fuiſſe Graji Peripati commentum, ad Ariſtotelem miſſas literas ab Alexandro illi ſignificantes, non recte ab eo factum, quod diſciplinas *Acroamaticas*, quibus ipſe eruditus foret, libris foras editis invulgaſſet. Etenim præter jam recenſitum a nobis Plutarchi teſtimonium, nullibi apud Ariſtotelem ipſum de *Acroamaticis* factam mentionem invenies. Et quanquam ejuſdem octo Phyſicorum appellati libri, Φυσικῆς Ἀκροάσεως, *Phyſicæ Auſcultationis* vulgo inſcribantur; verum nihilominus, ſi ratum cuiquam, firmumque non ſit, Stagiritæ librorum titulos, capitumque diviſiones, alios recognoſcere auctores, præſertimque Andronicum Rhodium, in maximo ſciat, me patrono, errore verſari. Non ſolum Rhodius hic, ſed & Hermippus quidam Smyrnæus, Adraſtuſque Aphrodiſienſis, Ariſtotelea volumina in ordinem digeſſere, de quibus alio me loco plane ſatis dicturum non deſpero.

Addam præterea, quod ſi de Phyſicis libris, quos Φυσικῆς Ἀκροάσεως ſubſequentes Peripatetici nominavere,

quan-

quandoque meminerit in ſuis operibus Stagirita, illos nunquam *Acroamaticos*, aut *de Auſcultatione* appellat, ſed eorundem aliquot *de Natura*, vel *Phyſicos*; aliquos vero *de Motu* nuncupare conſuevit; quam etiam nomenclaturam de Peripato quidam ſunt amplexati in poſteras ætates.

Ecce tandem quod *Acroamaticæ* diſciplinæ ab Alexandro literis ſuis memoratæ, in Ariſtotelico regno exoticæ appareant, ipſique etiam ignotæ Ariſtoteli. Vale igitur huic figmento dicat Peripatum, & ob detectas haſce technas erubeſcere potius diſcat, quam lætitia propter Epiſtolas a Philippo, & Alexandro miſſas ſuo Corypheo audacter, confidenterque geſtire.

Labori huic parcere jam decreveram, quando infidum ſcrinium, in quo Alexandri, & Ariſtotelis Epiſto-
10 læ condebantur occurrit. Scribit Aulus Gellius, ſe utramque exempla in Andronici philoſophi Peripatetici quodam libro exarata inveniſſe, quæ uti ſcripta ſunt ſubdenda viſum.

Α'ΛΕ'ΧΑΝΔΡΟΣ Α'ΡΙΣΤΟΤΕ'ΛΕΙ

εὖ πράττειν.

Οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας ἐκδὺς τὺς ἀκροαματικὺς τῶν λόγων. τίνι γὰρ ἔτι διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' ὓς ἐπαιδεύθημεν λόγυς, οὗτι πάντων ἔσονται κοινοὶ. ἐγώ δε βυλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπυιρίας ἢ ταῖς διαφέρειν. ἔῤῥωσο.

ALEXANDER ARISTOTELI

bene agere.

Non recte feciſti edens Acroamaticos ſermones. Quo enim amplius differremus nos ab aliis, ſi ſermones, quibus nos eruditi fuimus, omnibus erunt communes? Ego vero vellem rebus optimis potius, quam potentia differre. Vale.

Α'ΡΙ-

Α'ΡΙΣΤΟΤΕ'ΛΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙ͂ Α'ΛΕΞΑ'ΝΔΡΩ

εὖ πράττειν.

Ε'γραψάς μοι περὶ τῶν ἀκροαματικῶν λόγων, οἰόμενος δεῖν αὐτοὺς φυλάττειν ἐν ἀπορρήτοις. ἴσθι οὖν αὐτοὺς καὶ δεδομένους, καὶ μὴ ἐκδεδομένους, ξυνετοὶ γάρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν. ἔρρωσο.

ARISTOTELES REGI ALEXANDRO

bene agere.

Scripſiſti ad me de ſermonibus Acroamaticis, exiſtimans eos debere cuſtodiri in arcanis. Scito eos & editos, & non editos; intelligibiles nanque ſunt iis ſolis, qui nos audierunt. Vale.

Hæ ſunt Epiſtolæ apud Andronicum a Gellio repertæ, & tanquam germanæ ab ipſo habitæ. Verumenimvero ſi in Græcorum ingenio,& literis oppido quam verſatus vir Gellius,mentem fuerit Andronici Rhodii ſedulo perſcrutatus, hominis nimirum in Peripati doctrina ampliſſime promovenda inſudantis,nequaquam ſe tam facile decipi, falli,capi ſiviſſet. Quis non noverit, ab incunabulis uſque Regni Ariſtotelei, totam ejus vim, poteſtatemque in fuco locatā a blateronibus Græculis Peripati primis ſectatoribus? Dictu facile non eſt quot,quantiſq;figmentis Stagiritā ad ſiderea extulerint,ut ejuſdē proveheretur doctrina.

Hæc mecum ipſe memoria repetens, cæteris faventibus, adducor ut credam, Andronicum præcipuum Peripateticum Epiſtolas effinxiſſe, quibus poſteritatis oculis veluti pulverem offunderet ad imponendum, Peripati Philoſophiam, quemadmodum præſtantiſſimam cæterarum, magno ſummis habitam Regibus.

Nequeo quin exclamem cum Tullio: O magna vis Veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias facile ſe per

ſe ip-

ſe ipſam defendat! Qui nobis tanquam germanas tradidit Epiſtolas Alexandri, & Ariſtotelis Gellius, ipſe ipſiſſimus earundem fucum proprio ore detegit, oſtenditque. *Commentationum ſuarum*, (ſunt ejus verba in capite quarto vigeſimi libri Noctium Atticarum poſita) *artiumque, quas diſcipulis tradebat Ariſtoteles, duas ſpecies habuiſſe dicitur: alia erant, quæ nominabat* Ἐξωτερικά, *alia, quæ appellabat* Ἀκροαματικά. Ἐξωτερικὰ *dicebantur, quæ ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant.* Ἀκροαματικά *autem vocabantur, in quibus Philoſophia remotior, ſubtiliorque agitabatur, quæque ad Naturæ contemplationes, diſceptationesve dialecticas pertinebant. Huic diſciplinæ, quam dixi* Ἀκροαματικὴν, *tempus exercendæ dabat in Lycio matutinum. Nec ad eam quenquam temere admittebat, niſi quorum ante ingenium, & eruditionis elementa, atque in diſcendo ſtudium, laboremque exploraſſet.*

Quomodo, petam nunc ego, quæribundis Alexandri Literis non ore mendaci reſpondere potuit Stagirita, *Acroamaticos* nempe libros, quamvis editos, communes tamen nequaquam redditos, *quoniam iis ſolis, qui nos audiunt cognobiles erunt*, quando ipſe matutino tempore Libros eoſdem ſuis exponebat diſcipulis? quemadmodum narrat Gellius idem. Dicat, quæſo, ſcriptor hic elegans, univerſumque cum eo Peripatum: ſi modo iſta, quæ inter ſeſe nec congruunt, nec cohærent, jam paulo ante dictis addantur, quid jure ſentiendum de Alexandri ad Ariſtotelem Epiſtola, ac de hujus ad illum Reſponſione? Eritne utraque vera, legitimave ſoboles eorum, an vero adulterina, ſpuria, falſa, & de progenie Græci Lycei? Quid ſi iterum commemorem
11 Alexini Eriſtici teſtimonium, quo apertiſſime ſignificatur,

Digitized by Google

catur , Alexandrum adhuc puerum cum Philippo pa-
tre colloquentem , Ariſtotelis doctrinam deſpuere , Ni-
cagoræ vero vehementer probare conſueviſſe ? Et hunc
profecto Nicagoram facillime unum ex *Viris* facerem il-
lis , quorum Plutarchus meminit , prætermiſſo tamen 12
eorundem nomine , & per quos Alexander *Acroamati-
cis* , aliiſque eruditus fuerat diſciplinis .

Etſi Ariſtotelis doctrinam puer contemtui habuit .
Alexander , adultus tamen , & diadematus illam quo-
que deriſit : *Cum incuſantibus nonnullis Antipatrum,
contradiceret Caſſander* , (Plutarchi eſt narratio iſta) 13
eum refellens Alexander : *Quid ais , inquit ; nihilo vio-
latos homines tam longis confectis itineribus calum-
niatum adveniſſe ? Aſſerente Caſſandro , id eſſe calum-
niarum indicium , quod longo , ne redargui queant, pro-
ficiſcantur itinere . Id ridens Alexander : Hæc illa , in-
quit , Ariſtotelis ſunt ſophiſmata .*

Quumque deſpectus aliquando ab adoleſcente etiam
Alexandro ſe Stagirita inſpexiſſet , verſutus homo, alio
pro captanda illius benevolentia , convertit animum ,
ac paraſitica ei conſuetudine adulatur . Teſtes ſunt gra-
viſſimi viri Tertullianus , Aſſyriuſque Tatianus ; alter
dicit : *Sed Ariſtoteles tam turpiter Alexandro regendo* 14
potius adulatur , *quam Plato a Dionyſio ventris gratia
venditatur* ; alter vero ait : *Ariſtoteles Alexandro ado-* 15
leſcenti aſſentatus eſt . Uſque eo apud Grajos pro com-
perto id habitum , quod Lucianus Diogenem dolenti
apud inferos Alexandro , ſic alloquentem , ut mos eſt il-
li , fecerit : *Quid lachrymaris ſtulte ? an non id te ſa-* 16
*piens ille docuit Ariſtoteles , ne res eas , quæ a Fortuna
proficiſcantur , ſtabiles , ac firmas exiſtimares ?* Cui re-
ſpondit Alexander : *Sapiens ille , quum ſit aſſentatorum
omnium perditiſſimus ?*

Digitized by Google

Malæ tamen Stagiritæ artes iſtæ tantum efficere
apud Alexandrum non valuere, ut ejus averſus animus
in dies illi infenſior non evaderet. *Cujus rei teſtimonio*
17 *eſt* (ſcribit laudatus Plutarchus) *redditus honos Anaxar-*
cho, & miſſa Xenocrati quinquaginta talenta: item Dan-
damis, & Calanus, quos ſtudioſiſſime coluit, ut præ in-
videntia ilia rumperentur Ariſtoteli.

18. Exploratiſſimæ ſunt ſimultates acerbæ Ariſtotelem
inter, & diſcipulum ſuum Theodectem ſuſceptæ pro-
pterea, quod ille aliquando quoſdam artis Oratoriæ li-
bros huic dono dederit, ut librorum titulo in ſe transla-
to publicaret eos, ex alieno ſtudio ſibi nomen, & glo-
riam quæſiturus. Poſt hoc, ſeu diſcipulo iratus, ſeu do-
lens alteri laboraſſe, ſeu gloriæ cupidior effectus, mu-
tare conſilium cœperat, & ad ſe revocare velle quod de-
derat. In alio igitur quodam libro, de re quapiam ſer-
monem habens addit, plenius ſibi diſputatum in libris,
qui Theodectis dicerentur. Ita pauciſſimis verbis & ami-
ci gloriam, & liberalitatem propriam, qua nulla ma-
jor eſſe poterat, ſubvertit. Horum non ignarus Alexan-
der, ut injucunda Ariſtoteli faceret, per Phaſelidem
tranſiens, ubi complures verſatus dies, quum Theode-
19 cti præmortui (erat autem Phaſelide oriundus) erectam
in foro ſtatuam conſpexiſſet, ibi poſt cœnam, mero per-
fuſus, laſcive ſaltavit, multaſque ſparſit coronas, non
ingratum homini per jocum reddens honorem.

Quum jam demonſtraverim, quod ætatis quadrageſimum ſecundum agens annum, ad Philippum perrexerit Ariſtoteles; quodque annum & non magis in regio contubernio manſiſſet, fueritque dein quinquagenarius Athenas reverſus; exquirendum propterea reſtat, ubinam fuerit ſeptem reliquos ipſe verſatus annos. Inextricabili quidem exitu nobis ſe obtulerat labyrinthus, niſi

filum

Digitized by Google

filum, ut ita dicam, aliquem in noſtri auxilium per hæc
ſenſa paraviſſet idem ipſe Plutarchus: *Deſtructam enim* 20
ab ſe (ſcribens) *Ariſtotelis urbem Stagiram, exædifi-
cavit Philippus, civeſque tum diſſipatos, tum ſervos
reſtituit. Eis igitur Scholam, ac Gymnaſium in Nym-
pheo circa Miezam oppidum aſſignavit, ubi uſque in no-
ſtram ætatem Ariſtotelis ſedes marmoreæ, umbracula,
& deambulationes viſuntur*. Aggredior quamobrem
evolvere exhibitum lini glomerem.

E Macedonia proficiſcentibus Philippo, atque Ale-
xandro, verecundia Stagirita perculſus, ut autumo,
quod inter hujus ſocios non fuerit aſcriptus, tam cito
Athenas reverti deſiſtit, aditque patriam ſuam Stagi-
ram. Quumque in huic finitimo Nymphæo, circa Mie-
zam, Stagiræ incolis a Philippo deſtinata Schola fuiſ-
ſet, (ut ex Plutarcho dixi) illam primus occupat, 21
*quam legibus quoque inſtituit, Xenocratem imitatus,
ut ſingulis decem diebus Archontem crearet*, in eaque
ſeptem annis docet magiſter, quemadmodum non ob-
ſcure declarant ejuſdem Ariſtotelis ſedes marmoreæ, 22
umbracula, & deambulationes, ad Plutarchi tem-
pora quoque conſpicuæ.

Veriſimillima hæc tantam vim per Theophraſti te-
ſtamentum acquirunt, ut veluti firmiſſima habeantur
oportet, in quo id præſcriptum, inter alia, legitur:
Prædium autem, quod Stagiris nobis eſt, Callino do- 23
no. Τὸ δὲ χωρίον τὸ ἐν Σταγείροις ἡμῖν ὑπάρχον, δίδωμι
Καλλίνῳ. Quid ſibi hoc velit, exquiramus, ſi lubet, pau-
liſper. Theophraſtus natione Ereſſius, ſibi Stagiræ pa-
rat prædium? Quid homini Lesbio Athenis degenti,
cum Stagira Ariſtotelis patria? Fruſtra profecto, nullo-
que conſilio, ubi quis non degat, diſſitiſque præſertim
in regionibus, prædium quærat. Verumenimvero hoc

vel quammaxime eluceſcet, ſi nobiſcum ipſi Pyladeam, ut ajunt, amicitiam Ariſtotelem inter, & Theophraſtum recolamus. Quippe is Platone relicto, ſe quandoque ad Ariſtotelem contulerat, quem ſemper impenſe adamavit; ille vero non ingratus diſcipulo, eidem officiis (licet præter morem) rependere ſategit officia. Morti
24 nanque proximus Stagirita, ſuo teſtamento, inter cætera, generum ſibi aſciſcit Theophraſtum, ſi quid humanitus Nicanori accidat.

Non ſolum hoc, ſed eleganti quoque ea verecundia (ſi verum eſt quod fertur) Scholæ ſuæ illum elegit ſucceſſorem. Ariſtoteles porro annos jam fere natus duos,
25 & ſexaginta, corpore ægro, affectoque, ac ſpe, vitaque tenui fuit. Tunc omnis ejus ſectatorum cohors ad eum accedit, orantes, obſecranteſque, ut ipſe deligeret loci ſui, & magiſterii ſucceſſorem, quo poſt ſummum ejus diem, perinde ut ipſo uterentur ad ſtudia doctrinarum complenda, excolendaque, quibus ab eo imbuti fuiſſent. Erant tunc in ejus ludo boni multi, ſed præcipue duo, Theophraſtus, & Menedemus. Ingenio ii, atque doctrinis cæteros præſtabant, alter ex inſula Lesbo fuit, Menedemus autem Rhodo. Ariſtoteles reſpondit, facturum eſſe quod vellent, cum id ſibi foret tempeſtivum. Poſtea brevi tempore cum iidem illi, qui de magiſtro deſtinando petierant præſentes eſſent; vinum, ait, quod tum biberet, non eſſe id ex valetudine ſua, ſed inſalubre eſſe, atque aſperum, ac propterea quæri debere exoticum, vel Rhodium aliquod, vel Lesbium. Id ſibi utrunque ut curarent petivit, uſurumque eo dixit, quod ſeſe magis juviſſet. Eunt, curant, inveniunt, adferunt. Tum Ariſtoteles Rhodium petit, deguſtat: firmum, inquit, hercle vinum, & jucundum. Petit mox Lesbium, quo item deguſtato: utrunque, inquit,

oppi-

Digitized by Google

oppido bonum, ſed ἡδίων ὁ Λέσβιος. (*ſuavius Lesbium*) Id ubi dixerit, nemini fuit dubium, quin lepide ſimul, & verecunde ſucceſſorem illa voce ſibi, non vinum elegiſſet. Is erat e Lesbo Theophraſtus, homo ſuavitate inſigni linguæ pariter, atque vitæ. Itaque non diu poſt Ariſtotele vita defuncto, ad Theophraſtum omnes conceſſerunt.

Hæc igitur, aliaque in præſens dictu non neceſſaria Ariſtotelicæ neceſſitudinis cum Theophraſto ſpecimina ſunt, quorum hic meminiſſe libitum, ut non minime rationi conſonum videatur, Stagiræ ſibi prædium paraviſſe, quo ſe reciperet Theophraſtus, ne inibi diu manſurus magiſter, benemerens longe abeſſet a benemerente, expetitamque ſimul non dereret ipſe præceptionem. Et ecce liquido apparet, niſi animus fallit, Ariſtotelem longo intervallo verſatum Stagiræ, ſeptem ſcilicet annorum decurſu, idque a ſuo ab Alexandro receſſu, uſque dum fuiſſet reverſus Athenas. Sana igitur ratione non recte ſcriptum a Laertio exiſtimandum: Ἐπειδὴ δὲ ἐδόκει ἐπιεικῶς αὐτῷ συγγεγονῆσθαι Ἀλεξάνδρῳ, ἀπῇρεν εἰς Ἀθήνας, συστήσας αὐτῷ τὸν συγγενῆ Καλλισθένη τὸν Ὀλύνθιον: *Poſtquam vero viſus eſt ſibi ſatis cum Alexandro fuiſſe, Athenas ſe contulit, poſito prius in gratiam apud Alexandrum Calliſthene Olynthio cognato ſuo.* 26

Neque congruere, apteque cum veritate cohærere cenſeo, quod antequam ab Alexandro diſceſſiſſet Stagirita, ejus opera Regi conciliatus fuiſſet Calliſthenes, ut idem nunc ſignificat Laertius. Etenim Plutarchi teſtimonio paulo ante didicimus, quod priuſquam hæc fierent, Alexander, neſcio quas de Ariſtotele ſuſpiciones habebat, atque ob id inimico illum pene intuebatur vultu. Neque graves deſunt ſcriptores, Calliſthenem aſſerentes, non ſolum ab Ariſtotele in digreſſu ſuo Alexandro non commendatum, ſed a Rege ipſo in Aſiam 27

ac-

accerſitum, ut ejuſdem Alexandri res memoriæ proderet.
Quin etiam laudati Plutarchi narratio eſt, quod Calli-
ſthenes reducendorum civium, inhabitandæque cauſa
patriæ, per quandam animi magnificentiam ad Alexan-
drum commigraſſe.

Quoquo tamen modo ſe res habet; hic ille Calli-
ſthenes eſt, ex Ariſtotelis conſobrina natus, & qui veluti
Hermolai in Alexandrum conjurationis particeps, dira
morte perimitur. Prægrande hoc Colliſthenis malum
28 facinus, adverſus Ariſtotelem Alexandri bilem valde
vehementer commoviſſe perhibetur. Eam ob Regis in-
29 dignationem ſibi metuens Ariſtoteles, nefariæ Antipa-
tri, quondam diſcipuli ſui, ſententiæ adhærens, vene-
na adverſus illum parat. De hoc perpetrato ſcelere, ve-
tuſtiores Græci, Latinive Hiſtorici Ariſtotelem ſunt cri-
minati, indicatque Diſtichon vetuſtum, de quo alio me
loco mentionem feciſſe recordor, & quod iterum ne pi-
30 geat commemorare:

Doctorem ingratus calamo, dominumque veneno
Obruit, igne patrum dogmata, nos tenebris.

Pliniuſque naturalis Hiſtoriæ auctor conſtantiſſime aſſe-
31 verat, *Ungulas tantum mularum repertas, neque aliam
ullam materiam, quæ non perroderetur a veneno Sty-
gis aquæ, cum id dandum Alexandro Magno Antipater
mitteret, magna Ariſtotelis infamia excogitatum.*

Ad omnem tollendam de Stygis aqua dubitationem,
non admodum multis Pauſaniæ verbis, ejuſdem ortum,
naturamque, ut addiſcere id volentibus proſim, appone-
32 re ſum arbitratus. Pheneo præterea (ſcribit Pauſanias)
cum verſus Solem occidentem ſiniſtrorſum iter facias, in
Oppidum Clitorem pervenies, dextrorſum autem No-
nacrin, & ad Stygis aquam. Nonacris olim Civitas fuit
Arcadum, & nomen a Lycaonis uxore accepit. Noſtra
autem

Digitized by Google

autem ætate rudera extant, neque horum multa conſpicua. Non procul a ruderibus excelſa rupes viſitur, nec aliam ſcio æque altam. Ab rupe aqua deſtillat, quam Græci Stygis nominant. . . . Aqua autem quæ rupe deſtillat juxta Nonacrin, primum incidit in ſaxum excelſum, & ſaxum ut penetravit, in Cratin fluvium delabitur. Necem infert aqua hæc tum hominibus, tum reliquis animantibus omnibus. Dicunt & capellæ olim interiiſſe, quæ primum inde biberunt, id quod temporis poſtea progreſſu eſt deprehenſum. Ineſt aquæ & tale quiddam admiratione dignum. Alius enim cryſtallus, & *μοῤῥία*, & quæcunque alia ab hominibus ſunt ex lapidibus facta, vaſa item teſtacea, Stygis aqua rumpuntur. Cornea autem, atque oſſea, ferrum præterea, & æs, plumbum item, & ſtannum, argentum, atque electrum hac aqua putreſcunt. Quod ipſum auro etiam inter metalla omnia accidit. Tametſi veneno purgari aurum, tum poetria Lesbia teſtatur, tum aurum ipſum oſtendat. Divino itaque conſilio eſt inſtitutum, ut quæ gloria maxime excellerent, a rebus abjectiſſimis vincerentur. Partim enim margaritas acetum ſolet diſſoluere, partim adamantem gemmam ſolidiſſimam, hircinus ſanguis liquefacit. Atqui Stygis aqua, equi ungulam ſolam vi corrumpere non poteſt; ſed ſi infuſa ſit & continetur ab ea, & ungulam aqua non deſtruit. An vero Alexander Philippi filius hoc veneno fuerit peremtus, nihil certi ſcio, dictum eſſe ſcio. Hactenus Pauſanias.

Ariſtotelem, aliqui ajunt, ab Antipatro pecunia
corruptum, id illi conſilii dediſſe, quod ad continen- 33
dam Stygis aquam, aſini ungula uteretur: hæc Agnothemis quidam narraſſe dicitur, quæ ex Antigono Rege audiſſe conſtabat. Equi placet Trogo, Pauſaniæ, & Juſtino. Aeliani tamen ſententia eſt, aſini Scythici fuiſ-

ſe

ſe cornu, in quo aqua Alexandro propinanda a Sopatro
allata, ab eoque idem cum hoc Epigrammate Delphis
34 Pythio conſecratum:

Hoc tibi Alexander Macedo mirabile cornu
Dedicat, o Pæan, ex aſino Scythico,
Illæſum, quod aquam Stygis eſt pote claudere ſolum,
Invictumque alias vincere vim laticis.

Verumenimvero Ariſtotelis fautores quidam, ut præ-
grande hoc crimen, magnamque a Stagirita avertant in-
ſamiam, Alexandrum veneno ſublatum omnino occu-
lere ſatagunt, pernegantque contendentes, illum mor-
bo diem obiiſſe ſuum. Hos vero Olympiadis Alexandri
35 matris, & Caracallæ Imperatoris facta redarguunt. Il-
la nanque ſexto ab filii morte anno, cæſis complurimis
maleficii convictis, Jollæ quoque Antipatri filii, &
quondam regii pincernæ præmortui cineres juſſit diſſipa-
36 ri. Hic etiam, Philoſophos qui ſunt Ariſtotelici no-
minati, tam magno eſt odio proſequutus, ut voluerit
libros Ariſtotelis comburere, atque Ariſtotelicis ſodali-
tates, & cætera commoda, quæ habebant in Alexan-
dria ſuſtulerit, criminatus eos, quod Ariſtoteles cauſa
mortis Alexandri viſus eſſet.

Quid quæris? Malis tandem artibus tuis, ſceleſtiſ-
ſime Stagirita, moritur immature Alexander. Proh fa-
cinus abominandum! Cupiebam decumanum id ſcelus
ſuper cætera ſcelera tua inſigniſſimum diſſimulare, ſed
meam modeſtiam vicit improbitas facti. Te, quod
ajunt, quercus aliqua, vel duriſſimus lapis ferme edi-
dit, torvaque leæna, aut hyrcana tigris tibi ubera ad-
movit, virulente, & nequam homo. Eximii ob Re-
gis necem abs te dolo patratam, diſcipulus tuus Anti-
37 pater, Alexandri ſucceſſor in regno Macedoniæ evadit;
is vero officii gratias rependens, Statuam tibi marmo-
ream

Digitized by Google

ream in Junonio erigit Templo. At Fata quid ferunt? Nulla ei inſcriptio, nec nomen apponitur, interque non Philoſophos, ſed Gladiatores locatur; ut nempe tua gloria, quam inſcriptionis carentia reticet, ſociorum indicetur exercitio; eo tamen diſcrimine, ut illi inter ſeſe vi brachiorum in aperto certaverint Marte communi; tu vero ſubdole interfeciſti aſini ungula Regem merito cognomine Magnum. 38

PARTIS PRIMÆ.

§. VIII.

LAERTII DIOGENIS VERBA.

ARISTOTELES autem Athenas cum veniſſet, tribuſque & decem annis Scholæ præfuiſſet, Chalcidem aufugit, cum ei Eurymedon Sacerdos, ſive, ut eſt apud Favorinum, in variarum rerum hiſtoria, Demophilus impietatis judicium eo nomine intendiſſet, quod Hymnum in Hermeam, de quo ſupra dictum eſt, feciſſet. Epigramma etiam, quod eſt in ſtatua, quæ Delphis poſita, eſt tale:

Hunc olim haud pie violans Deorum Themim puram
Interfecit Perſarum arciferentium Rex,
Haud aperte belli cruento certamine victor;
Sed viri fidem ſequutus doloſi.

Hoc in loco cicutam cum bibiſſet interiit, ut eſt apud Eumelum in quinto hiſtoriarum, cum annis ſeptuaginta vixiſſet. Idem etiam, cum triginta natum annos ad Platonem deductum eſſe ait; in quo errat, vi-

xit enim annos treis & ſexaginta, Platoni autem ſeptem ac decem natus annos commendatus eſt. Hymnus autem is eſt:

Virtus laborioſa generi mortali,
Inventum pulcherrimum vitæ:
Tua pro, Virgo, forma
Et mori beatum in Græcia fatum,
Laboreſque ferre fervidos, indefatigabiles;
Talem animo jacis fructum æternum,
Auroque potior, & parentibus,
Mollique ſomno.
Tui cauſa Jove natus Hercules,
Ledæque filii multa pertulerunt
Operibus celebrantes potentiam.
Tuique deſiderio Achilles,
Ajaxque Orci domos venerunt.
Tuæ gratia amicæ formæ
Atarneæ alumnus
Solis ſe viduavit ſplendore.
Ergo inclytus operibus,
Immortaleſque eum augebunt Muſæ
Memoriæ filiæ,
Jovis hoſpitalis decus augentes,
Amicitiæque præmium firmæ.

Et noſtrum quoque in eum, quod tale eſt:

Eurymedon olim Ariſtotelem impietatis
Accuſaturus erat, Proſerpinæ myſtidis famulus;
Sed aconitum bibens, aufugit hoc ſine labore.
Licebat ergo vincere calumnias iniquas.

Hunc primum Favorinus in varia hiſtoria, orationem judicialem in hoc ipſo judicio pro ſe ſcripſiſſe tradit, atque ita dixiſſe: Athenis

Pirus poſt pirum ſeneſcit, & ficus poſt ficum.

Apol-

Apollodorus in Chronicis, anno eum primo nonageſimæ ac nonæ Olympiadis natum eſſe ait, cumque ſe ad Platonem ſeptem ac decem natus annos contuliſſet, viginti eum annis audiviſſe, Mitylenemque, Eubulo archonte veniſſe, anno quarto centeſimæ octavæ Olympiadis, cujus anno primo, Platone jam mortuo, Theophilo archonte, ad Hermeam profectum eſſe, trienniumque apud eum manſiſſe. Pythodoto archonte ad Philippum veniſſe anno ſecundo centeſimæ nonæ Olympiadis, cum Alexander quindecim jam annos natus eſſet. Athenas revertiſſe anno ſecundo centeſimæ atque undecimæ Olympiadis, in Lyceoque tredecim annis docuiſſe. Deinde Chalcidem profectum eſſe anno tertio centeſimæ & quartædecimæ Olympiadis: annos vero tres, & ſexaginta natum, morbo extinctum eſſe, quo tempore Demoſthenes quoque in Calabria, Philocle archonte, mortuus eſt. Fertur, ob Calliſthenem Alexandro commendatum, apud Regem offendiſſe, eumque ut ipſum triſtitia afficeret & Anaximenem auxiſſe, & Xenocrati dona miſiſſe. Illum quoque Theocritus Chius Epigrammate cavillatus eſt, quemadmodum ait Ambryon in libro de Theocrito, quod tale fecit:

Hermeæ eunuchi, Eubulique ſimul ſervi,
Tumulum inanem, inanis mente fecit Ariſtoteles.

Sed & Timon illum tetigit ita dicens:

Neque Ariſtotelis futilitatis miſerandæ.

Ac Philoſophi Vita quidem talis eſt.

COMMENTARIUS IN §. VIII.

Athenas reverſus Ariſtoteles, quum inibi tredecim docuiſſet annis, a Demophilo quodam, aut ab Eurimedonte Sacerdote, tanquam Impius accuſatur, utpote

qui ob ei conceſſam meretricem, in conviviis de Her-
mea ſacrum Hymnum quotidie caneret. Athenæus, &
Scaliger, ac ſi revera Hymnus iſte unus, unicuſque fuiſ-
ſet criminationis ſcopus, totos intendunt nervos pro Sta-
girita ab Impietatis crimine purgando. Alter enim ca-
1 lumniatoris convitio tangit Demophilum affirmans, *in
ea Cantione ſpeciem Hymni nullam eſſe, ſed illam contra
Scholii unum quoddam genus potius exiſtimandam*,
quum acclamatione ἰὴ παιάν caruerit, qua Pæana apud
2 Grajos inſigniri conſueverant. Alter vero magiſtri con-
ſulens exiſtimationi perhibet, ſtrenuis aliquando etiam
viris Pæanas datos, quibus eorum laudes ſine acclama-
tione celebrabantur.

Sed non ſit Hymnus ſacer Ariſtotelea in Hermeam
Poeſis, ſitque Scholium, Cantio, vel quidquid placue-
rit Athenæo; concedaturque Scaligero, Pæanas ſtre-
nuis etiam ſolitos conſecrari viris: Æthiopſne iſte deal-
babitur? ne utiquam, niſi me fallo. Nunc meminiſſe
fas eſt, quod Pythiadæ meretriculæ eo modo ſacrifica-
3 verit Stagirita, quo Athenienſes Eleuſinæ Cereri: *Καὶ
ἔθυεν ὑπερχαίρων τῷ γυναίῳ, ὡς Ἀθηναῖοι τῇ Ἐλευσινίᾳ
Δήμητρι*. Quod ita quum ſit, Athenæus, & Scaliger de
malo facinore illo vindicare eum ſatagentes, oleum,
operamque perdidere. Ut Ariſtoteles loco Impii habea-
tur, parvi quidem refert, Carmen in Eunuchum nihil
in ſe continuiſſe ſacri, quando impudicæ eum Lupæ ſa-
crificaviſſe palam eſt. Non ſolum hoc, ſed ſceleſto facino-
ri, ſceleſtiora ideoque dogmata addidit; quoque apud ju-
dices Athenienſium veluti ἄθεος, καὶ ἀσεβής graviſſime
accuſatur. De maxima improbitate iſta apertiſſimum di-
cit teſtimonium Origenes Sancti Clementis Alexandrini
4 diſcipulus: *Is enim* (de Ariſtotele loquebatur) *cum
intellexiſſet parari ſibi judicium ut Impio, propter quæ-*

dam

dam dogmata ipſius ſuſpecta impietatis Athenienſibus, diſcedens Athenis, apud Chalcidem ſcholam habuit.

Verumenimvero fugam meditatus, Antipatro amico ſuo per literas ſignificat, rem periculo eſſe plenam Athenis vitam degere; & ac ſi inſons falſo crimine accuſaretur, Homeri verſiculo,

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ,

Athenienſium arguit ſycophantias: *ἐκ τούτων ἐλέγχων τὰς τῶν Ἀθηναίων συκοφαντίας*: ſic annotante illius vitæ 5
laudatore Ammonio. Omnem dein ſalutis ſpem in cruſculis formicæ ſuis ponens, dum Chalcidem petit, Socratis cicutæ memor, ac ſi Athenienſes (fugiens) alloqueretur, crebro inſuſurrabat: ego vero non ſinam vos
in Philoſophiam bis peccare: *Οὐκ ἐάσω ὑμᾶς δὶς εἰς* 6
Φιλοσοφίαν ἁμαρτεῖν.

Peccatum quidem ab Athenienſibus innoxium necantibus Socratem, nemo inficiabitur; nam ille, *eo quod* 7
prohibebat ſacrificium fieri Apollini interfectus eſt, cum coleret unum Deum. Iterum vero eoſdem in Philoſophiam peccaturos, ſi te vita interfeciſſent, perperam arbitraris, Stagirita: utriuſque fortaſſe mores, & dogmata reſpondebant ſibi, unaque veluti forma erant percuſſa? *Nemo unquam Socratem impium quiddam, &* 8
irreligioſum aut facere vidit, aut dicere audivit; te vero nihil pie, aut religioſe aliquando feciſſe, jam enarratis, cuncti tanquam in ſpeculo inſpexere; tequemetipſum poſthac invenient omnes ſcriptis quoque monſtroſum.

Quantam peſtem, quot deteſtanda ſcelera impuriſſimo ore ſuo propriis in voluminibus evomuerit Philoſophus iſte, Doctores quidam pii, & egregii in unum illa colligentes, Chriſtiano orbi oſtendere diligentiſſime ſatagerunt, ne fortaſſe abditum virus clam in mentes fidelium illabens, horum animas inficeret, perderetque.

Duo

Duo ſunt illorum veluti *Syntagmata*, quorum primum Ægidium Columnam, alterum vero Melchiorem Canum recognoſcit auctorem, quæ hoc loco integra apponenda cenſui, ut ex iis, & Sanctorum ſimul Eccleſiæ Patrum teſtimoniis facillime habeatur, non minus quam ab Athenienſibus, tanquam ἄθεος, ϗ ἀσεβὴς damnandus cavenduſque ab Orthodoxis Ariſtoteles.

SYNTAGMA PRIMUM.

Continens Ariſtotelis dogmata contra noſtram Sanctam Fidem ab Ægidio Columna D. Thomæ Aquinatis diſcipulo elaboratum.

I. CRedidit enim Ariſtoteles nihil eſſe in una
diſpoſitione, in qua primo non fuerat, niſi per
9 motum præcedentem: exiſtimavit enim, quod non eſſet
novitas, niſi ibi eſſet mutatio proprie ſumta: quia ergo omnis mutatio proprie accepta, eſt terminus motus, non eſt dare novitatem ſine motu præcedente. Ex hoc enim fundamento concludebat, nunquam incœpiſſe, quia ſi motus incœpit, motus fuit novus; ſed nihil eſt novum, niſi per motum præcedentem; ergo ante primum motum fuit aliquis motus, quod eſt inconveniens.

II. Præterea erravit, quia poſuit tempus nunquam incœpiſſe, quia ſemper motum ſequitur tempus. Si ergo motus non incœpit, nec tempus incœpit. Videbat tamen, quod ratio de tempore haberet ſpecialem difficultatem: nam quia inſtans ſemper eſt finis præteriti, & initium futuri, non eſt dare primum inſtans, propterea quod ante omne inſtans fuit tempus, & ante quod-

cun-

Digitized by Google

cunque tempus ſignatum, inſtans fuit; non ergo tempus incœpit, ſed eſt æternum.

III. Deinde propter ea, quæ dicta ſunt, coactus fuit ponere, mobile eſſe æternum, & Mundum eſſe æternum; quia cum non ſit dare tempus ſine motu, nec motum ſine mobili; ſed motus, & tempus ſit æternum, mobile erit æternum; & ita Mundus nunquam incœpit: quæ omnia patent ex 8. *Phyſ.*

IV. Item coactus fuit ponere Cœlum eſſe ingenitum, & incorruptibile, & nunquam fuiſſe factum, ſed ſemper fuiſſe. Nam cum inter cæteros motus, ſolus circularis ſit continuus, ut patet ex 8. *Phyſic.* quia motus eſt æternus, circularis erit æternus; & quia circularis motus eſt proprius Cœlo, ut probat in 1. *Cœli*, & *Mundi*; concludit igitur, Cœlum eſſe ingenitum, & nunquam fuiſſe factum. Habuit tamen ſpecialem rationem, quare Cœlum non incœpit, quia quidquid habet virtutem ut ſemper ſit in futuro, habuit virtutem ut ſemper eſſet in præterito; & quia Cœlum non deſinet, nec incœpit eſſe.

V. Item, quia ſecundum ipſum quidquid fit, fit ex materia præjacente, voluit quod non poſſet eſſe alius Mundus. Unde Deus non poſſet alium Mundum facere, quia iſte conſtat ex tota ſua materia: hic etiam error elicitur ex 1. *Cœli*, & *Mundi*.

VI. Præterea, poſuit generationem iſtorum nunquam ceſſaſſe, & nunquam incœpiſſe. Nam omnem generationem præcedit corruptio, & ſequitur corruptio; & omnem corruptionem præcedit generatio, & ſequitur generatio; propter quod quamlibet generationem præcedit corruptio, & quamlibet corruptionem generatio; nec eſt poſſibile deſinere, quia quamlibet generationem ſequitur corruptio, & quamlibet corruptionem generatio

tio. Si ergo generatio, vel corruptio deſineret, poſt ultimam generationem eſſet generatio, & poſt ultimam corruptionem eſſet corruptio, quod eſt impoſſibile: non igitur eſt poſſibile generationem, & corruptionem ceſſare. Quod autem generationem præcedat, & ſequatur corruptio, probat per viam motus; nam non eſt aliquid generatum, niſi quia aliud corruptum, & ita generationem præcedit corruptio; & etiam ſequitur, quia omne generabile eſt corruptibile, & omne corruptibile de neceſſitate corrumpitur; ſic & corruptionem præcedit generatio, quia nihil corrumpitur, niſi quod prius generatum; & ſequitur generatio, quia corruptio unius eſt generatio alterius. Hic autem error, quod generatio, & corruptio non incipiant, nec deſinant, haberi poteſt ex 1. *de Generat.* & *ex* 2. expreſſius.

VII. Item, quia in multis inferioribus generatio eſt per Solem, coactus fuit ponere, quod Sol nunquam ceſſabit generare plantas, & animalia, ut patet ex 1. *de Vegetabilibus*.

VIII. Item, quia non eſt novitas ſine motu præcedenti, ſecundum propoſitum fundamentum erravit, volens, a Deo non poſſe procedere immediate aliquod novum, ut patet ex 2. *de Generatione*, ubi ait, quod *idem manens idem*, *ſemper fuit idem*.

IX. Item coactus fuit negare Reſurrectionem mortuorum. Unde pro inconventi habet, (ut patet ex 1. *de Anima*) quod mortui reſurgant. Nam in 8. *Metaphyſices* vult, quod mortuum non redit vivum, niſi per multa media; & ſi redit, non redit idem numero, quia quorum ſubſtantia deperit, non redeunt eadem numero, ut dicitur in fine 2. *de Generatione*. Nec valet ſi aliqui vellent eum excuſare, quia loquitur per viam Naturæ, cum crediderit nihil novi poſſe immediate a Deo procedere

dere, ſed omne novum contingere per viam motus, & operationem Naturæ.

X. Item credidit nihil novum poſſe contingere, niſi per viam motus, & operationem Naturæ. Credidit etiam, (ut apparet ex 1. *Phyſices*, quando diſputat contra Anaxagoram) quod intellectus volens ſeparare paſſiones, & accidentia a ſubjectis, eſſet intellectus quærens impoſſibilia; propter quod videtur ſequi, quod Deus non poſſet facere accidens ſine ſubjecto.

XI. Item, quia per viam motus nunquam eſt generatio unius, niſi ſit corruptio alterius; & nunquam introducitur una forma, niſi expellatur alia, cum eadem ſit materia omnium habentium eam, ſequitur ex hoc, quod non ſint plures formæ ſubſtantiales in uno compoſito. Imo qui bene proſequitur iſtam viam, videt eſſe ponendam in compoſito unam formam ſubſtantialem tantum. Iſta videtur via Philoſophi 7. *Metaphyſices*, *cap. de Unitate definitionis*.

XII. Item poſuit, quod ubi eſt modo ſtagnum, & mare, fuerit aliquando ſiccum, & e contra, quia Tempus non defuit, ſed eſt æternum, ut patet ex 1. *Meteororum*: unde neceſſe etiam habet dicere, quod non eſſet dare primum hominem, nec primam pluviam, &c.

XIII. Item, quia non erat Intelligentia potens movere, niſi cum actu moveret; quia in optima diſpoſitione ponuntur Intelligentiæ ſi moveant, dixit tot eſſe Angelos, vel tot eſſe Intelligentias, quot ſunt Orbes, ut patet ex 2. *Metaphyſices*. Cui contradicit Scriptura divina dicens: *Millia millium miniſtrabant ei*, *& decies centena*, *&c.*

XIV. Item, quia ſic per viam Naturæ voluit incedere, cum ſimul duo corpora non poſſint eſſe in eodem loco, credidit, (ut patet ex 4. *Phyſicorum*) quod adeo

 eſſet

eſſet per ſe, quod dimenſiones reſiſtant dimenſionibus ſecundum quod hujuſmodi, quod eſt impoſſibile quod dimenſiones remaneant cum dimenſionibus, & non reſiſtant: propter quod ſequitur, quod Deus non poſſet facere quod duo corpora eſſent in eodem loco. *Hæc Ægidius*.

SYNTAGMA ALTERUM

Continens Ariſtotelis dogmata contra noſtram Sanctam Fidem, a Melchiore Cano Epiſcopo Canarienſi elucubratum.

I.

10 PRimus igitur locus ubi contra Scripturarum fidem erraſſe Ariſtotelem exiſtimo, habetur *de Somno*, & *Vigilia*, quo loco negat Deum immittere ſomnia, redditque ejus rei cauſam, quod ſi Deus eorum eſſet auctor, ſapientibus vel maxime, & his quidem vigilantibus ea immitterentur.

II.

Alterum exemplum eſt in tractatu *de bona Fortuna*, ubi res fortuitas Divinæ gubernationi, ac directioni ſubtrahit, duobus argumentis perſuaſus. Uno, quod res ſecundæ pravis obveniant, quorum Deum habere curam non ſit veriſimile. Altero, quod Deus potius dirigeret in effecta Fortunæ homines ſapientes, cum contra fere videamus imprudentiſſimos quoque eſſe fortunatiſſimos.

III.

Tertius locus eſt lib. I. *de Cœlo*, ubi quidquid genitum eſſet, id corruptibile aſſeruit, nec incorruptibile quic-

quicquam, quod non eſſet ingenitum. Poſuerat vero ante omnia varias harum vocum ſignificationes, ne res verbi ignorantia clauderetur. Ratus itaque ſe adverſus Platonem bonam habere cauſam, certamque proinde ſibi victoriam pollicitus, contra morem ſuum, non obſcure, ſed quam fieri potuit aperte docuit, quidquid incorruptibile eſſet, id ingenitum eſſe, ac perpetuum oportere, hoc eſt, nullo unquam modo incœpiſſe. Sic enim vocem illam interpretatur. Qua ex re fieret, ut Anima rationalis, aut corruptioni eſſet obnoxia, aut eſſet certe ingenita, ac ſempiterna.

IV.

Quartus locus eſt *Libro* 5. rurſuſque 12. *Metaphyſices*, quibus locis definit Deum animal eſſe perpetuum, & optimum. Vocat autem Deum communi nomine, ſubſtantiam quamcunque cœleſtem, & divinam. Nam poſt hæc incipit inquirere; an illa ſubſtantia ſempiterna una, an plures ſint? Atque eodem *Libro* 12. conſentit bene antiquos, res illas præſtantiſſimas Deos appellaſſe: ludit autem per amphiboliam, nunc autem Mentem ipſam Deum vocat, nunc Cœlum, cujus anima Mens eſt; id quod etiam in *Lib.* 12. *de Cœlo* videre licet. Sed ne quis ſit admiratus, quod Cœleſtes ſubſtantias animalia hic Ariſtoteles nuncupet; nam veterum more, ſubſtantiam animatam, ſive anima ſenſitiva, ſive intellectiva vocat Animal. Itaque arbitratur, Deum illum unum principem cæterorum extremo Cœlo affixum, per ſe movere ipſum, quomodo cæteræ Mentes ſuos orbes movent, ſuntque Ariſtoteli ipſorum orbium Animæ, ut *D. Thomas* 2. *cont. Gentes*, *cap.* 70. admittit. Nec Ariſtoteles aut 8. *Phyſices*, aut 12. *Metaphyſices* hominis Intelligentiam ad aliud principium revocat, quam ad illam primam Mentem, quæ vi ſempiterna primum mobile ciet.

V.

Quintus locus eſt eodem quoque Libro, ubi ſubſtantiis intellectualibus Cœlorum motricibus virtutem tribuit infinitam, quod infinito tempore moveant.

VI.

Sextus locus eſt eodem etiam Libro, ubi, ut mihi quidem videtur, Dei Providentiam, præmiaque, & ſupplicia, quæ probis, & improbis in futura vita manent, fabulas eſſe ſignificavit, gratia vulgi continendi in officio confictas. Reliqua (ait) fabuloſe jam ſunt allata ad perſuaſionem vulgi, atque ad uſum Legum, vitæque humanæ utilitatem. Ecquæ enim, rogo, illa ſunt veteribus tradita, in quibus hæc ambo conveniant, ut ſint ad uſum legum, & ad vitæ humanæ utilitatem tradita, niſi ea, quæ nos explicare voluimus, Ariſtoteles noluit, ne proborum hominum, eorum vel maxime, qui Reipublicæ curam gerant, invidiam ſibi, odiumque conflaret? Nam quod Ariſtoteles Deo rerum humanarum Providentiam adimat, maxima auctoritate Theologi affirmant, *Clemens Alexandrinus libro* 5. *Stromatum*, & *Epiphanius* 3. *Libro adverſus hæreſes cap. ultimo*. Quos autem locupletiores auctores quærimus, quam ſanctos eruditos, in Græcorumque doctrinis apprime verſatos? Anne ipſius etiam Ariſtotelis de ſe teſtimonium expectamus? Nimirum 12. *Metaphyſices libro*, verbis artificioſe excogitatis, ne in hoc etiam a more ſuo diſcederet, abſurdum eſſe docuit, Deum de quibuſdam intelligere, quod præſtet videre aliqua, quam non videre. Ubi non dixit, abſurdum eſſe Deum quædam intelligere, ſed de quibuſdam intelligere, aut meditari, ut vetus interpres reddidit, ut non tam ſimplex rerum vilium intelligentia, quam Providentia eorum, & cura ſignificaretur. Sentit itaque Deum magna cura-

re,

re, parva negligere. Atque in Libello *de Mundo* (ſi modo ejus eſt hoc opus) Deum facit ſimilem magno Perſarum regi Xerſi, vel Cambyſi, vel Dario, qui ipſe per ſe maxima, & pulcherrima regni obeat munia, minora, & ſordida mandet aliis. At 10. *Ethicorum Libro*: Quod ſi Dii (inquit) curam habent aliquam humanarum rerum, quemadmodum exiſtimatur, & creditur, rationabile eſt, eos amantibus Mentem, honorantibuſque favere, tanquam rerum ſibi cariſſimarum curatoribus, ac bene agentibus. Nota, *Ut exiſtimatur, & creditur, &c.*

Jam Diogenes Laertius aperte tradit, Ariſtotelem Dei Providentiam ad Cœleſtia uſque perſtringere. Jam quod libertatem Deo in Naturæ rebus Ariſtoteles neget, viri docti, & graves ita magnis argumentis ſuadent, ut ſupervacaneum ſit eas hic a me rationes repeti, quas in promtu eſt ex illorum libris cognoſcere. Certe ubi de Mundi æternitate velis, equiſque, ut ajunt, cum Platone certat, ſi Naturæ auctorem liberum faciat, ridiculus eſſe videatur. Quid de indignatione ob proſpera impiorum eventa, quam ad bonos mores pertinere 2. *Rhetoricorum Libro* affirmat? Quid quod 3. *Politicorum Libro* præſcribit, nihil mutilum, & imminutum, orbatumque natura educandum, ſcilicet ne nimia filiorum multitudine Res ſua illa publica formam, ſpeciemque congruentem amitteret? Propter quam etiam cauſam prævertendos fœtus exiſtimat, abortumque ante animationem faciendum; nam poſtquam vitam acceperint, nefas putat attingere.

Quid de Animarum infinita multitudine? quam admittat neceſſe eſt, ne in Pythagoræ Μετεμψύχωσιν incidat. Illa vero admiſſa, cum infinita corpora eſſe non poſſe exiſtimet demonſtratum, Reſurrectionis articulum non

ad-

admittet. Quid quod duo principia Ariſtoteles poſuit Deum, & Materiam, nec enim rerum creationem ex nihilo agnovit? Cujus quidem rei teſtes non mediocres, ſed haud ſcio an graviſſimos, Clementem Alexandrinum, Epiphaniumque, lector noli contemnere. *Ita Canus*.

Hæc ſunt quæ ſparſim ſuis operibus diſſeminavit Stagirita, a nobilibus accurate digeſta doctoribus, expoſitaque, ut ab eis tanquam cane rabido pejus, & angue caveant Orthodoxi, & quibus multo jam antea vel quammaxime commotus Divus Ambroſius, Ariſtotelicos longe Epicureis deteriores dixit.
11 Sueſſanus etiam Auguſtinus, Lyceo quanquam non mediocriter addictus, pronuntiare non dubitat,
12 Ariſtotelem ex ſuo philoſophandi more, Chriſtianæ veritati accedere non poſſe. Sanctuſque, tandem,
13 Vincentius Ferrerius vocat Ariſtotelem, & Averroem, phialas iræ Dei projectas ſuper aquas ſapientiæ Chriſtianæ, unde ſactæ ſunt amaræ ſicut abſynthium.

Et quoniam Lycei alumnis mos fuit aliquot obſcuros, leveſque edere teſtes ad Ariſtotelem vanis, frivoliſve interpretamentis a criminibus tantis vindicandum; operæ duxi, Græcorum, Latinorumque Eccleſiæ Sanctæ Patrum, nec non doctiſſimorum teſtimonia virorum, rite atque in ordinem redacta hic exponere, ut collatis doctrinæ, & perſonarum ponderibus, (ne ipſius Stagiritæ modo teſtificationem commemorem) quiſque judex ſit æquus, quibus potius adhibenda fides. Impiarum igitur Ariſtotelis *Aſſertionum* eſt.

PRI-

PRIMA.

MUNDUS EX UTRAQUE PARTE ÆTERNUS.

AB uſque jam Phyſiologiæ incunabulis, cujus parentem Prometheum Japeti filium natio Græcorum facit, quotquot in hæc ſtudia incumbuere non ſolum, ſed illi etiam, quos iidem Graii Theologos nominaverunt, unanimi conſenſu, Mundum aliquando ortum docuiſſe pro comperto eſt, ipſo quoque narrante Ariſtotele. Pythagoras etiam Italicæ princeps Scholæ
hæreſim hanc, quam ab Ægypti Sacerdotibus, Chal- 14
dæiſque Magis accepiſſe, inque Italiam invexiſſe fertur, conſtantiſſime ſuſtinuit, illamque Empedocles, Archytas, Tymæus, Philolaus, cæterique ejus celeberrimi nominis diſcipuli pariter ſunt amplexati. Verumenimvero ex omni Pythagorea nobili familia, Ocellus tantum Lucanus, a magiſtro, & Schola primus deſciſcens, undecim rationibus, Mundum ex utraque parte æternum vehementiſſime anniſus eſt comprobare. *Videtur enim mihi*
(aliquando ſcribit Ocellus) *Univerſum immortale eſſe,* 15
& ingenitum; ſemper enim fuit, & erit. Iterumque:
Cum ergo incorruptibilis ſit Mundus, & ingenitus, ne- 16
que principium genituræ accepit, neque finem unquam accipiet: cujus rationes, tanquam non loci hujus, lubens prætermitto.

Novo hoc excogitato, fortaſſe quod de Omnipotentia, ac Majeſtate Dei vel quammaxime detraheret, adeo captus apparet Stagirites, ut quum in aliis ſæpe opinionibus nutare videatur, hanc vero conſtanter docuit, & tutatus eſt; ſic animadvertente Aphrodiſiæo expoſito-

re

17 re ſuo præcipuo. Eam porro concludit cap. 1. & 3. libri 1. de Cœlo. Cœpta tamen eſt ea res inſinuari Phyſicorum lib. 3. capite 4. ſub nomine tamen Infiniti, quod capitibus 6. & 7. ſequentibus docere proſequitur. Poſtea 4. Phyſicorum capite 11. 12. 13. & 14. Poſt hæc, veluti aliud agens, totis decem capitibus ſexti Phyſici. Dainde 7. Politicorum, capite 1. Poſtea 8. Phyſices, capitibus 1. 2. 6. 8. & 9. Iterum libro 1. de Cęlo, capitibus 3. 9. 10. & 12. Tandem libro 2. de Cœlo, capite, 1. & 3. Quibus omnibus capitibus veluti Corollaria appoſuit caput ultimum Libri 2. de Ortu, & cap. 6. Libri 2. Metaphyſices.

Omni referta inſania Ariſtotelis doctrina iſta, intime adeo Græci Lycei intravit præcordia, ut Peripate-
18 ticus Simplicius, adverſus Grammaticum ſcribens, voluerit prius iniquo dente Geneſim Sanctam mordere, quam dilectum deſeruiſſe magiſtrum. Illius execranda verba apponere non gravabor, quamvis Latinæ conſuetudini tradita. *Quod ſi Judæorum Legislatorem indicat, & teſtatur dicentem*: In principio Cœlum, & terram Deus fecit, & terra erat inviſibilis, & ornata, tenebræque erant ſupra abyſſum, ac Dei Spiritus ſuper aquam ferebatur. *Deinde cum ipſe feciſſet lumen, & loco ſeparaſſet lumen a tenebris, ſubjunxit*: Et vocavit Deus lumen diem, & tenebras noctem, & ſimul veſpere prodiit, & mane dies unus. *Si ergo talem temporis ortum fuiſſe temporaneum credidit, velim intelligat, quod hæc eſt fabuloſa traditio, & e fabulis Ægyptiorum trabitur*. Huc perduxit Simplicium immodicus amor Lycei.

In promovenda igitur Mundi æternitate non ſolum, ſed in delendis quoque Ocelli ſcriptis, omnem rudentem moviſſe Stagiritam comperies, ut nempe ſuffurato nobili

nobili invento, aliquibuſque illius ad id firmandum rationibus uſo; novæ hæreſis parens ipſe, architectus, & auctor (de more) appareret. Pro quacunque dein plagii ſuſpicione ab hominum animis omnino abigenda, de Mundi æternitate ſermonem habens, confidenter multum, inverecundeque affirmat, omnes qui ante ipſum extiterant Philoſophi, ut dixi, Mundum aliquando factum voluiſſe: *γενόμενον μὲν ἓν ἅπαντες εἶναι φάσιν*; *Innuens his* (dicit Aphrodiſienſis,) *Mundum genitum omnes cum Theologi, tum Naturales inter ſe convenire*; ac ſi 19
contrarium non docuiſſet laudatus Ocellus.

Adeo firmiter ſibi ſuaſerat Ariſtoteles monumenta Lucani obliterata prorſus, abolitave fuiſſe, ut propriis in libris quamplurima illius dogmata, veluti ſua, libenter ſit auſus interſerere, auctoris mentione nulla penitus habita; quæ nunc commemorare differo, quod aliis locis opportuniora ſint: & quo magis adhuc mirere, in voluminibus Stagiritæ ne legas quidem nomen Ocelli. Sed de his jam ſatis. Accedamus modo ad idoneos teſtes, quorum teſtimoniis apertiſſime demonſtraturum ſpero, Mundum voluiſſe Ariſtotelem ex utraque parte æternum, in caſſum renuentibus Peripati filiis; dicitque

PRIMUM.

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus. 20

QUum porro dicat Moyſes, cœpiſſe aliquando Mundum, & totius Univerſi factorem, & conditorem Deum conſtituat, atque Plato ſimilia Moyſi in Philoſophia ſua doceat; contrarium prorſus hiſce Ariſtoteles aſtruit.

21 SECUNDUM.

Idem Euſebius.

ARiſtoteles, ſi alitur, inquit, Mundus, interibit; atqui nulla prorſus indiget alimonia; ſempiternus igitur.

22 TERTIUM.

Divus Ambroſius.

IPſum quoque Mundum ſemper fuiſſe, & fore, Ariſtoteles uſurpat dicere.

23 QUARTUM.

Hugo Eterianus.

QUi (Ariſtoteles) ſane ingenitum, ſecundum hoc dicit Mundum, quod ipſum non præceſſerit tempus.

24 QUINTUM.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus.

ITem Plato, Mundum animal eſſe dicit, & animal mente præditum, tribuitque ei Providentia gubernari; genitum eſſe, & corruptibilem, quantum ad ejus naturam attinet, definit. Verum diſcipulus ejus Ariſtoteles non idem ſentit; neque enim animatum totum, neque mentalem, neque Providentia gubernari, ſed neque genitum eſſe tribuit ei, ſed vult incorruptibilem, ac ingenitum.

SEX-

Digitized by Google

SEXTUM.

Æneas Gazeus. 25

A Riſtotelem autem ridiculum appellat Atticus Platonicus, quod & univerſam hanc Mundi machinam cerni, tangique poſſe, itemque eſſe corpoream fateatur, & nihilominus concedat eam nec creatam olim, nec perituram unquam eſſe.

SEPTIMUM.

Lactantius Firmianus. 26

NAm Ariſtoteles cum non videret quemadmodum poſſet tanta rerum magnitudo interire, & hanc præſcriptionem vellet effugere, ſemper ait fuiſſe Mundum, & ſemper futurum. Ita Lactantius.

Cuinam, quæſo, poſthac latebit, Ariſtotelem æternitatis Mundi manifeſtiſſimum fuiſſe patronum? Quum evidentiæ pondus pertinacium e Peripato nonnullorum niſus ſubegerit, ne arena iſti cedentes, manus dediſſe videantur, ad Aquinatis veluti arcem ſeſe recipiunt: hæc nanque Ara, hic portus eſt, hæc quoque tabula naufrago Lyceo. Verumenimvero ipſi vos inani profecto, tenuique ſpe conſolamini, Peripati alumni; levitatis nanque hujus veſtræ vos arguit doctus Jeſuita Pererius, quamvis & hic e Stagiritæ familia fuerit. Ejus verba nunc afferre non dubito, quæ ſunt iſta:

Verum (ait) quia putant nonnulli, Ariſtotelem vel 27
non ſenſiſſe Mundum eſſe æternum, vel ipſum certe non exiſtimaſſe æternitatem motus, & Mundi firmis, ac neceſſariis rationibus a ſe fuiſſe concluſam, atque demonſtratam; ſed eum contradicere tantum voluiſſe opinionibus antiquorum, qui ajebant, Mundum ex materia

Digitized by Google

per motum phyſicum eſſe procreatum: hos falli, & doctrinæ Ariſtotelis perſpicue adverſari obiter oſtendamus.

Equidem non ignoro multis videri poſſe, D. Thomam non multum ab illorum ſententia abhorrere. Is enim 1. par. q. 46. art. 1. ita ſcribit. Rationes Ariſtotelis pro æternitate Mundi non fuerunt demonſtrativæ ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, nempe contra antiquos generantes Mundum per modos quoſdam, ſecundum veritatem, impoſſibiles. Et hoc apparet ex tribus. Primo, quia tam in 8. Phyſic., quam in 1. lib. de Cœlo diſſerens de æternitate Mundi præmittit opiniones antiquorum, ut Empedoclis, Anaxagoræ, & Platonis, contra quos rationes contradictorias inducit. Deinde, quia ubicunque de hac materia loquitur, inducit teſtimonia antiquorum, quod non eſt demonſtratoris, ſed probabiliter perſuadentis. Poſtremo, quia expreſſe dicit in lib. 1. Topicor. cap. 9. eſſe quædam Problemata dialectica, de quibus rationes certas non habemus, cujus rei exemplum ponit hoc Problema: Utrum Mundus ſit æternus? Hæc D. Thomas.

Sed ſive hoc D. Thomas illis verbis ſignificare, ſive aliud quidpiam innuere voluerit, mihi ſane nunquam veriſimile fieri potuit quod illi ajunt. Quis enim tantum non omnino rudis, & ignarus ſcriptorum, & doctrinæ Ariſtotelis, legens octavum librum Phyſicorum; primum librum de Cœlo; extremam partem ſecundi de Generatione, & Corruptione; poſteriorem item partem duodecimi libri Metaphyſices, non aperte videat, ſi quod eſt dogma apud Ariſtotelem, & Peripateticos certum, & exploratum, firmum, ratum, & conſtitutum, hoc de æternitate Mundi eſſe quam quod maxime? An non hoc uno maxime fundamento nititur doctrina, quam is de Cœlo, de Intelligentiis, & de Deo tradidit? Quis ve-

veterum Peripateticorum; quis etiam aliorum, (unis paucis exceptis) Mundum æternum eſſe ſecundum Ariſtotelem unquam dubitavit? Tolle æternitatem motus, neque Intelligentias eſſe, neque æternas eſſe, nec immateriales, nec indiviſibiles, nec omnis expertes potentiæ, nec intelligentes, nec optimam diſpoſitionem, ac ſtatum habere probavit Ariſtoteles, cum hæc omnia ex motus æternitate concluſerit. Tolle æternitatem motus, neceſſe eſt admittere Creationem, quam nec cognitam quidem fuiſſe Ariſtoteli, ne dum ei prolatam, quinto libro hujus operis oſtendimus. Sed cur, inquies, ipſe vocavit hanc quæſtionem: an Mundus ſit æternus? Problema dialecticum, ad cujus neutram partem contradictionis tractandam certæ ſuppetant rationes? Primum reſpondeo, ineptum, & iniquum eſſe, quod uno, & alieno loco, quod obiter, quod exempli tantum cauſa dicitur ab Ariſtotele, velle id ceu magnum aliquod argumentum valere contra ea, quæ idem Ariſtoteles permultis locis, ex profeſſo, proprie, diſtincte, affirmate, aſſeveranter, & copioſe docuit. Deinde, ego arbitror vocari ab Ariſtotele illo loco Problema dialecticum: utrum Mundus ſit æternus? non quod ea ipſe de re ambigeret, vel quod non ipſe putaret id a ſe neceſſariis rationibus fuiſſe demonſtratum, ſed propter varias ea de re Philoſophorum ſententias, aliis ajentibus, aliis autem negantibus Mundum eſſe æternum. Qui enim conſideret varietatem opinionum, & diſſentionem Philoſophorum circa illam quæſtionem, exiſtimaret eam eſſe Problema dialecticum; non enim poteſt eadem res in contrarias partes veris, & neceſſariis rationibus tractari, ſed tantum dialecticis, & probabilibus. Ergo, an Mundus ſit æternus? Problema dialecticum vocatur ab Ariſtotele, non quia non poſſet æternitas Mundi demon-

ſtrative

ſtrative probari, ſed propter varietatem, & diſcordiam Philoſophorum de illa quęſtione in utramque partem diſputantium. Non igitur in eo diſſerendum nobis eſt, ut oſtendamus, Ariſtotelem de Mundi æternitate aliter ſenſiſſe, quam revera ſenſit; ſed in id toto pectore nobis incumbendum erit, ut omnia cum Ariſtotelis, tum aliorum Philoſophorum argumenta, quibus ipſi æternitatem Mundi omnibus prolatam, & perſuaſam fore arbitrabantur, infirma eſſe, paruoque negotio ſolui poſſe, doceamus. Hactenus Pererius; quem niſi effugiſſet, tritos nunc Topicorum libros non Ariſtotelem recognoſcere auctorem, facile omnis ab ipſo ſuiſſet quæſtio diremta.

Laertius porro Ariſtotelicæ vitæ ſcriptor aſſiduus, qui Stagiritæ etiam monumenta diligentiſſime perquiſivit & adeo, ut ipſum dixiſſe comperias, conflari ea omnia quadringentis quadraginta quinque millibus verſuum, & ducentis ſeptuaginta: *γίνονται αἱ πᾶσαι μυριάδες ϛίχων τέτταρες, καὶ τετταράκοντα, πρὸς τοῖς πεντακισχιλίοις, καὶ διακοσίοις ἑβδομήκοντα*, narrat, decem ab illo fuiſſe elucubratos ad Topica attinentes libros; diverſis tamen titulis diſtinctos, nempe, Ὅροι πρὸ τῶν τοπικῶν ᾱ, β̄, γ̄, δ̄, ε̄, ϛ̄, ζ; *Definitiones ante Topica*, I. II. III. IV. V. VI. VII. Τὰ πρὸ τῶν τόπων. ᾱ. *Quæ ſunt ante loca*. I. Τοπικὸν πρὸς τοὺς ὅρους. ᾱ. β. *Topicum ad definitiones*. I. II. Quæ vero Stagiritæ Topica hodie leguntur, in eiſque Mundi æternitas *Problema dialecticum* dicitur, ſic apparent inſcripta, Τοπικῶν, *Topicorum*; ſuntque ea non amplius libri octo. Quis ergo, aut quotuſquiſque non facile ſibi ſuadeat, hos ab illis toto Cœlo diſtare; quum & numero differant, & titulis?

28 Accedit eo, quod idem ferat Stagirites, ipſum in Topicis, quænam ſit *Enthymematis*, *Exemplique* differentia

ferentia tradidiſſe : τίς δ' ἐστὶ διαφορὰ παραδείγματος, καὶ ἐνθυμήματος φανερὸν ἐκ τῶν Τοπικῶν. Et alio etiam loco diſcrimina *Propoſitionum* docere ſatagens dicit, de 29
dialectica Propoſitione ab ſe in Topicis fuiſſe pertractatum, καθάπερ ἐν τοῖς Τοπικοῖς εἴρηται: & tamen neque hoc, neque illud in Topicis, in quibus verſamur habetur. Eruntne propterea vulgata Topica de progenie Lycei, ſoboleſque Ariſtotelis?

Tandem, quod Ciceronis temporibus Ariſtotelis Topica obſcura admodum fuerint, habuerintque explicatus difficiles, idem Orator per verba iſta ſignificat: *Cum enim mecum in Tuſculano eſſes, & in bibliotheca* 30
ſeparatim uterque noſtrum ad ſuum ſtudium libellos quos vellet evolueret, incidiſti in Ariſtotelis Topica quædam, quæ ſunt ab ipſo pluribus libris explicata .... Sed a libris te obſcuritas rejecit. Simplicius vero nobilis apud Peripateticos Stagiritæ expoſitor habitus, multoque poſt Tullii ætatem vigens, ſuæ tempeſtatis Topica plane aperta, & facillima eſſe teſtatur: δῆλον δὲ 31
καὶ ἐξ ὧν ἐν οἷς ἐβουλήθη σαφέστατα ἐδίδαξεν, ὡς ἐν τοῖς μετεώροις, καὶ τοῖς Τοπικοῖς; *Clarum autem id eſt etiam ex iis, in quibus voluit* Ariſtoteles *clariſſime docere, ut in Meteoris, & Topicis*. Eat modo e Peripato quivis & dicat, ab Stagirita Mundi Æternitas ex eo *Problema dialecticum* habita, quod in illius Topicorum libris ita legatur edoctum; quando ob jam indicata, hos Ariſtotelis ſtylo non fuiſſe ſignatos, meridiana luce clarius appareat.

Quid plura? *Idem enim Ariſtoteles* (Plutarchi ſunt 32
verba) *alienus ab ea fuit ſententia, quæ Mundi creationem Deo aſcribit*; & ita, ut Anaxagoram ajentem:
Confuſa in unum erant omnia; *Mens ea diviſit, & in* 33
ordinem compoſuit, ſic irriſerit: *Nam & Anaxagoras* 34
tan-

Digitized by Google

tanquam machina utitur Mente ad Mundi generationem.
35 Sed quoniam *ponere Mundum Æternum*, *hoc eſt perver-tere totam Sacram Scripturam*, Divo Bonaventura docente; longe propterea recedat a Chriſtianorum viciniis Stagiritæ hæreſis iſta.

SECUNDA.

ANIMA MORTALIS.

MArtyr, & Philoſophus Juſtinus, Theodoretus, Euſebiuſque, Platonem ex Hebræorum libris multa in
36 ſuos tranſtuliſſe ſcribunt. Numenius propterea Philoſophus dicere conſueverat, *τὶ ἐςι Πλάτων, ἢ Μωυσῆς ἀττικίζων; Quid eſt Plato, niſi Moyſes atticizans?* Et Ariſtobulus
37 Judæus, *Legem*, inquit, *noſtram in multis Plato ſequutus eſt*. Is igitur Moſis ſententiam amplexatus, hominum Animas Immortales eſſe apertiſſime docuit, ſed *ne Ariſto-*
38 *teli quidem auditori ſuo perſuaſit ea opinio*, Theodoreto Cyri Epiſcopo animadvertente; *nam cum ille Animam dixerit immortalem eſſe, hic mortalē dicit*, ſic non paucis
39 loco eodem S. Doctore annotante: idq; aliis quoq; egregie eruditorū teſtimoniis virorū palam nunc facere ſtudebo.

40 *Origenes Divi Clementis Alexandrini diſcipulus.*

ARiſtoteles a præceptore deſciſcens, accuſavit ejus doctrinam de immortalitate Animæ.

41 *Atticus Platonicus.*

QUis igitur primus ille demonſtrationibus ſuis opponere huic audebit? Quis, inquam, alter ille fuerit Ariſtoteles? Hic contendere adhuc non dubitavit, quod corpus ſubvertat, ac perimat Animam; tantum non dicat, nihil prorſus eſſe Animam.

Æneas

Digitized by Google

Æneas Gazeus. 42

ARiſtotelem enim, qui nimia quadam ſua, atque intemperata ſapientia falſus, Animarum immortalitatem e medio omnem ſuſtulit, ſilentio prætereo.

Sanctus Maximus. 43

NIhilque amplius erit iis, qui ſic amentia feruntur, ſublata eis Animæ immortalitate, quam quod Epicuri, & Ariſtotelis argutiarum, ac ineptiæ eſt; quorum etiam, ut par eſt, belli homines, ac ſtrenui collegio gloriantur, gaudentque iis accenſeri.

Paulo ante laudatus Cyri Epiſcopus S. Theodoretus. 44

INtellectum enim (agentem) divinam eſſe partem affirmarunt, cum quibus ſentit & Nicomachi filius Ariſtoteles, tametſi corruptibilem Animam eſſe dixerit: aliud enim eſſe Intellectum ab ipſa Anima opinatus eſt.

Divus Gregorius Nazianzenus. 45

ARiſtotelis mortales de Anima ſermones, atque humana dogmata confuta.

Hiſce S. Doctoris verbis addidit eruditiſſimus Elias Cretenſis: *Mihi tamen idcirco potius hi ſermones mortales dici videntur, quod iis Animarum mortalitas aſſeratur.* Reliqua videat qui voluerit indicato a nobis loco. 46

S. Gregorius Nyſſenus. 47

PErſpicuum etiam eſt, ut ex horum numero alii Animam eſſe ſubſtantiam proferant: Ariſtoteles vero, & Dinarchus, ſubſtantia carentem putant.

Digitized by Google

48 *Idem Nyſſenus.*

EUnomius autem Animam definiit, ſubſtantiam incorpoream in corpore conditam; in quo cum Platone, & Ariſtotele convenit. Quippe incorpoream ex Platone accepit; quod autem in corpore conditam dicit, ex Ariſtotelis doctrina eſt.

Abunde ſupra cum Themiſtio, Simplicio, aliiſque præcipuis Peripati alumnis affectatam Ariſtotelici ſermonis obſcuritatem expoſuimus, cujus ſub umbra proprios ille obtegere ſtuduerat ſenſus. Iis non contentus, callido vir ingenio, elocutionis tenebris aliam caliginem ſuperaddidit, nova ſcilicet nomina proprio arbitratu condens, quorum germana ſignificatione ignorata, inextricabiles orirentur dubitationes: ita ei feliciter cecidit; eoque nomine meritiſſimo laceſſitur a Verulamio.

Quis enim ex celeberrimis Stagiritæ Grais, Latiniſque interpretibus vim, ſignificatumque verum vocis illius, nempe Ἐντελεχείας ab eo appellatæ, & qua ipſe in Anima definienda uſus eſt, accepiſſe gloriabitur? Lis adhuc ſub judice verſatur. Aliqui volunt, illam pro perenni quadam, & continuata motione haberi, quos inter Cicero. *Et ſic* (ait) *ipſum Animum* Ἐντελέχειαν
49 *appellat Ariſtoteles, novo nomine, quaſi quandam continuatam motionem, & perennem.* Alii vero ipſam vertunt, *Actum, & perfectionem*, contendentes, eo ſenſu fuiſſe ab ejus auctore paſſim acceptam, præcipueque in Animæ definitione, quum ita docuerit: Διὸ ψυχή ἐστιν Ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει: *Quapropter Anima primus eſt actus, perfectioque corporis naturalis, potentia vitam habentis.*

Quacunque tamen facta novi vocabuli interpretatione, ſemper apud Ariſtotelem (quod noſtri eſt inſti-

tuti)

Digitized by Google

tuti) mortalem habitam Animam Græci Patres affirmant, conſtanterque tenere videntur. Æneas quippe Gazeus etſi bene cum Cicerone conveniat in Ἐντελεχείας interpretamento, nihilominus Animam corruptibilem voluiſſe Ariſtotelem dilucide teſtatur: *Ariſtoteles autem* 50
ejus diſcipulus (loquebatur antea de Platone) *diverſum ſentit, & Animam, excogitato novo nomine*, Ἐντελέχειαν, *ideſt continuatam quandam, & perennem motionem appellat, quam exiſtimat Materiæ quaſi extremam manum imponere, ac forma cum ſit, ſimul cum corpore diſſolui*.
Et Juſtinum Sanctum hæc quoque verba loquentem in- 51
venimus: *Ariſtoteles vero, eum* (Animum intelligit) Ἐντελέχειαν, *ideſt actionem, ſive perfectionem nominans, non Immortalem, ſed Mortalem eum eſſe vult*.

Si vero in hoc negotio Divum Gregorium exquiramus Nyſſenum, ægregius profecto Doctor iſte, non tantum impiam adaperiet Stagiritæ mentem, ſed una novum vocabulum ſtultiſſime inventum, ac ſummæ refertum futilitatis, levitatiſque oſtendet; cujus maſcula ſenſa, quemadmodum mihi non grave hic addidiſſe viſum, ita & inſcientibus, eadem noviſſe non diſplicebit. 52
Ariſtoteles, (verba ſunt Nyſſeni) qui Animam dicit *Entelechiam*, nihilominus idem ſentit quod qui *Qualitatem* eam eſſe volunt. Sed explicemus prius quam *Entelechiam* vocet. Subſtantiam trifariam dicit intelligi; una, quæ ut Materia ſubjecta ſit, quæ per ſe quidem nihil eſt, poteſtatem tamen ad rerum ortum habet; alteram, Formam, & ſpeciem, per quam Materia formatur; tertiam, quod ex utriſque, ſpecie, & materia conflatur, quod demum animatum eſt. Eſt igitur materia, poteſtas; ſpecies, *Entelechia*. Et iſta quidem bifariam quoque accipitur; tum ut ſcientia; tum ut ex ſcientia contemplatio; hoc eſt; tum ut habitus; tum

ut uſus habitus. Anima igitur ut ſcientia eſt; quoniam hoc ipſo quod Anima eſt, & ſomnus, & vigilia eſt. Vigilia autem contemplationi; ſomnus uſui, qui tamen non fungatur ſuo munere, proportione reſpondet. Atque ſcientia, uſu ſcientiæ prior eſt; propterea primam *Entelechiam* vocat *Speciem*; ſecundam *Uſum*, atque *Muneris functionem*. Quemadmodum oculus ex ſubjecto eſt, & ſpecie; atque id quidem quod in eo ſubiicitur, viſumque accepit, materia ejus eſt, quæ ipſa quoque communi nomine oculus dicitur; ſpecies vero, & *Entelechia prima* oculi, ipſemet viſus, qui videndi vim oculo impertit. *Secunda* autem *Entelechia* oculi eſt functio muneris, qua videt. Ut igitur paulo ante natus catulus neutra præditus eſt *Entelechia*, ſed vim habet accipiendi *Entelechiam*; ita de Anima intelligendum eſt. Ut enim illic videndi ſenſus dum eſt ortus, oculum abſoluit; ita hic, dum corpori Anima ingenita eſt, Anima perficit, ut neque ſine corpore unquam ſit Anima; neque corpus ſine Anima: corpus enim non eſt, ſed corporis, ideoque in corpore eſt, & quidem corpore tali, per ſe vero, ſuaque vi nulla eſt. Sed primum quidem patibilem Animæ partem, Animam vocat, diſcludens ab ea, quæ rationis eſt particeps. Atqui omnis ſimul hominis Anima ſumenda erat, neque ex una ejus parte, eaque infirmiſſima, de univerſo pronunciandum. Deinde, corpus, ait, poteſtatem habere ut vivat etiam antequam generetur Anima: ait enim, corpus poteſtate vitam in ſe habere. Oportet autem corpus, quod poteſtate vitam habet, prius actu eſſe corpus: non poteſt autem actu eſſe corpus, antequam formam accipiat; eſt enim corpus materia omnis qualitatis expers. Fieri ergo nequit, ut quod actu non eſt, aliquid ex ſe creandi vim habeat. Quod ſi etiam corpus poteſtate eſt; quo-

modo

modo, quod poteſtate corpus eſt, poteſtate vitam in ſe ipſo poteſt habere? præſertim cum in cæteris fieri poſſit, ut qui habeat aliquid, eo non utatur, ut in quo viſus ſit, non fungatur munere oculorum, in Anima id fieri nequeat: non enim in dormiente nullum Animæ munus eſt; nam & alitur, & augeſcit, & phantaſia utitur, & reſpirat, quod in primis vitæ argumentum eſt. Quare ex his manifeſtum eſt, nulli adeſſe poſſe ut vivat poteſtate, ſed omnino actu vivet. Quod enim potiſſimum Animam format, nihil aliud præter vitam eſt; Animæ enim cognata vita eſt, corpori vero non aliter adeſt, quam quod ejus quodammodo eſt particeps. Quare, qui dicit, ſanitatem vitæ proportione reſpondere, non Animæ vitam, ſed corporis intelligit; & ita fallax ejus eſt oratio. Nam in corpoream ſubſtantiam viciſſim cadunt contraria; in ea, quæ ſpecies eſt, non cadunt. Si enim differentia, quæ ſpeciem efficit mutetur, etiam animal mutabitur: itaque non in ſubſtantiam, quæ ſpecies eſt, contraria cadunt, ſed eam, quæ ſubjectum eſt, ideſt corpoream. Nullo igitur modo Anima corporis *Entelechia* eſſe poteſt, ſed ſubſtantia eſt omnibus partibus abſoluta, vacans corpore; nam viciſſim in eam cadunt contraria, virtus, & vitium, a quo ſpecies longiſſime aberrat. *Hæc Nyſſenus.*

TERTIA.

DEUS IIS NON PROVIDET, QUÆ SUB LUNA EXISTUNT.

SI nullus eſt qui præſit, ſed caſu conſtant omnia: quis tam pulchrum, tam magnum fornicem, nempe Cœlum, circumductum ſuper terram, aut etiam ſuper aquas ſtatuit? Quis dat tempora ferendi fructus? Quis tantam vim poſuit in ſeminibus, & plantis? Nam quod

fit

ſit caſu, eſt plane inordinatum. Quod autem eſt bene ordinatum, fit arte. Quid enim, dic quæſo, ex iis quæ apud nos, quæ caſu fiunt, non multa plenum eſt confuſione, multoque tumultu, & perturbatione? Nec dico ſolum caſu, ſed etiam faciente aliquo, verum faciente ſine arte; ut exempli cauſa, ſint ligna, & lapides, & ſit calx, & iis acceptis, homo ædificandi imperitus ædificet, & operetur: an non omnia perdit, & corrumpit? Rurſum, ſit navis abſque gubernatore, quæ omnia habeat, quæ oporteat habere navem, præter gubernatorem, non dico non inſtructa, ſed ne inſtructa quidem, poterit navigare? Et Terra, quæ eſt tanta, ſtans ſuper aquam, abſque aliqua, quæ eam continet poteſtate, tanto tempore ſtat firma, & ſtabilis. Hæc ne ullam habent rationem; & non hæc cogitare eſt mille modis ridiculum? Exclamans ſciſcitatur Divus Chryſoſtomus.

53 Et tamen Ariſtoteles audacter nimis, ſtulteque *Dei*
54 *Providentiam ad Cœleſtia uſque deducit*, Laertii teſti-
55 monio. Scribitque Plutarchus, quod Stagirita, *neque animatum totum* (Mundum) *per omnes partes dicit, neque ſenſu, ratione, aut mente præditum, neque a Providentia temperari. Nam Cœleſtibus quidem hæc omnia adeſſe, quod orbibus contineatur animatis, atque animalibus. Terreſtria autem omnibus iſtis carere, & ordinem per accidens iis, non per ſe, aut a cauſa antegreſſa contingere*. Tantæ Ariſtotelis inſaniæ venerabilium Eccleſiæ Sanctæ Patrum teſtimonia narrabo.

56 *Nemeſius Epiſcopus*.

QUare hac refutatione ad ſuum tempus reſervata, veniamus ad Ariſtotelis opinionem, & cæterorum, qui negant rebus ſingulis a Deo conſuli. Nam Ariſtoteles, a Natura ſola vult adminiſtrari ſingula.

Eu-

Digitized by Google

Euſebius Cæſareæ Antiſtes. 57

MOſes præterea, Hebræique Prophetæ, quibus etiam Plato ſuffragatur, Providentiam univerſa complecti, diſtincte, clareque poſuerunt. Ariſtoteles, in Lunari orbe metam Numini, terminumque conſtituens, partes Mundi reliquas ejus curæ, gubernationique ſubduxit.

S. Clemens Alexandrinus. 58

VIdete ne quis ſit, qui vos ſeducat a Fide in Chriſtum per Philoſophiam, & inanem deceptionem, quæ tollit Providentiam ſecundum traditionem hominum. Quæ eſt enim ſecundum traditionem Philoſophia, conſtituit, & confirmat Providentiam, qua ſublata, videtur fabula Servatoris æconomia, cum nos ſecundum elementa hujus mundi, & non ſecundum Chriſtum feramur. Quæ eſt enim in Chriſto conſentanea doctrina, & opificem Deum eſſe aſſerit, & deducit Providentiam uſque ad ſingularia, & talem elementorum novit eſſe naturam, ut in eam cadat ortus, & mutatio, eaque docet a Deo regi, ad hoc ut vim aſſimilantem, ac diſpenſantem habeant, adeo ut Mens principalis omnem præcedat doctrinam.

[Hæc Sancti Doctoris verba exponens doctiſſimus Gentianus Hervetus ſic habet: *Approbat ergo Clemens doctrinam Platonicam, ut quæ Deum rerum ſtatuat authorem, non autem Ariſtotelicam, quæ negat Dei Providentiam tranſire orbem Lunæ.*

Idem Divus Clemens. 59

ARiſtoteli autem venit in mentem, uſque ad Lunam deducere Providentiam.

Athe-

60 *Athenagoras Athenienſis.*

EA quæ ſub Cœlo ſunt, Providentia non gubernari, *dicit Ariſtoteles*.

61 *Theodoretus Cyri Epiſcopus.*

HIc, (*Ariſtoteles*) quantum ejus verba ſonant, Terram divinæ Providentiæ exortem fecit.

Idem Theodoretus.

ARiſtoteles Luna tenus putavit Dei Providentiam rebus præeſſe, & ea omnia, quæ infra Lunam ſubſidunt, minus Deum curare; ſed eorum gubernationem tradidiſſe Fatorum neceſſitati, cui quidem tantum tribuat, ut non ſolum divitias, paupertatem, proſperam valetudinem, morbos, ſervitutem, bellum, pacemque diceret ab hac mortalibus diſpenſari, ſed virtutem quoque, vitiumque contribui.

62 *Idem Theodoretus.*

ARiſtotelis quoque Providentiam reprehendimus; ei enim Lunam limitem conſtituit: duorum alterum; vel ejus impotentiam, vel ſocordiam accuſans. Vel enim non habet potentiam, quæ ad univerſorum curam gerendam ſufficiat; vel ſi habet, propter ſocordiam noſtram, ſine regimine, & gubernatione reliquit: ſed utrunque eſt plenum blaſphemiæ.

63 *S. Epiphanius Conſtantiæ Cypri Epiſcopus.*

QUæ ſupra Lunam ſunt, divinæ Providentiæ eſſe; quæ vero infra Lunam, extra Providentiam eſſe, & latione quadam temeraria ferri, prout contingit, *aſſerit Ariſtoteles*.

Divus

Divus Gregorius Nazianzenus. 64

ARiſtotelis præparcam, & anguſtis finibus circumſcriptam Providentiam confuta; *Eunomio dicit.*

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus. 65

VOluit Ariſtoteles, nec uſquequaque animatum eſſe, (*Mundum*) nec ſenſibilem, nec rationis compotem, nec intellectus; denique ne Providentia quidem regi.

Divus Ambroſius. 66

QUo decurſo, proclive æſtimo ut refellam cætera. Et primo eorum aſſertionem, qui Deum putant curam Mundi nequaquam habere, ſicut Ariſtoteles aſſerit, uſque ad Lunam ejus deſcendere Providentiam . . . Nam de Ariſtotelis opinione quid loquar? qui putat, Deum ſuis contentum eſſe finibus, & præſcripto Regni modo degere. . . . . Similiter ergo aſſerit, quod terrarum curam non habeat *Deus*, ſicuti maris, vel Inferni non habet. *Hæc Sanctus Doctor.*

Peripatum vero, quod plus uno Ariſtotelis verbulo, quam teſtimoniis quotquot in literaria Republica cum fama viguerunt tribuere conſuevit, omnes contendit nervos ad perſuadendum, decimo Nicomacheorum libro, Dei Providentiam plane, apertiſſimeque fuiſſe a Stagirita indicatam; ac ſi venerabilium Eccleſiæ Sanctæ Patrum univerſitas intus, & in cute Ariſtotelem non cognoviſſet, vel in eodem redarguendo voluerit comminiſci mendacia, criminave confingere. Verum neſcio quo vultu, qua id poſſit confidentia pronuntiari, quando locus hic, de quo mox verba facere inſtitui non ſolum, ſed & alii quamplurimi, Ariſtotelem Dei Provi-

dentiam, infra Lunæ ſaltem orbem, funditus ſuſtuliſſe conclamant. Sed age videamus, attentaque animadverſione ſcrutemur, quid a tanto Philoſopho nunc doceatur, ut propriorum ejus verborum ſtatuminatis ponderibus, veritas ipſa pura, & ore non fucato inſpiciatur.
67 Sunt enim hæc verba Stagiritæ. Ei γάρ τις ἐπιμέλεια τῶν ἀνδρωπίνων ὑπὸ θεῶν γίνεται, ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἴη ἂν εὔλογον χαίρειν τε αὐ τοὺς τῷ ἀρίστῳ, καὶ τῷ συγγενεστάτῳ τοῦτο δ᾽ ἂν εἴη ὁ νοῦς· καὶ τοὺς ἀγαπῶντας μάλιστα τοῦτο, καὶ τιμῶντας ἀντευποιεῖν, ὡς τῶν φίλων αὐτοῖς ἐπιμελουμένους· καὶ ὀρθῶς τε, καὶ καλῶς πράττοντας. ὅτι δὲ ταῦτα πάντα τῷ σοφῷ μάλιστα ὑπάρχει, οὐκ ἄδηλον. θεοφιλέστατος ἄρα. Quorum Latinus ſenſus eſt, Dionyſio Lambino interprete. *Nam ſi DII immortales curam habent aliquam rerum humanarum, quemadmodum veriſimile eſt, illud quoque probabile fuerit, eos re omnium optima, ſibique maxime cognata delectari, (hac Mens fuerit) iiſque qui hanc maxime diligunt, & plurimi faciunt, præmia perſolvere, gratiamque referre, ut eorum, quæ ipſis cara ſunt curam habentibus, rectaſque, atque honeſtas actiones obeuntibus, atque exercentibus. Hæc autem omnia in ſapiente ineſſe maxime, non eſt obſcurum. Eſt igitur DEO cariſſimus.* Ad iſtam, inquam ratiocinationem, veluti ad ſacram anchoram, confugiunt Peripatetici ad oſtendendum, *Providentiam Dei* ſtatuiſſe Ariſtotelem; videlicet, quod in loci hujus calce, Dei venerabile nomen ab expoſitore Lambino aperte ſignatum invenerint.

Nonnulli vero doctrina, omnigenaque præcellentes eruditione viri, eo ſolum argumento ſugillaviſſe Stagiritam fuere contenti, quod de re iſta dubitanter admodum, perplexeque per verba illa, ὥσπερ δοκεῖ, *ut exiſtimatur*, hoc loco indicaverit. Verum id ſatis mihi non facit; etenim etſi *Diis* obſcure *Providentiam* attribuit,

Deo

Deo tamen plane, dilucideque illam eripuiſſe videtur. Sit ut dicit, (quamvis non fidenter) ac Cœli decreto, & *Providentia* ſapientibus, veluti Mentis amatoribus præmia largiantur: quis, quæſo, horum, Philoſophi noſtri judicio, æquus diſpenſator habendus? Primane Mens illa *Deus*, & *cauſarum Cauſa*, quam & admiſiſſe, & cognoviſſe Ariſtotelem aſſeverat, contenditque Lyceum? hoc certe non dicit. Quis igitur rerum ſubter Lunam exiſtentium ſummam, ipſo doctore, adminiſtraturus? *Dii* certe illi, (quemadmodum ejuſdem verba ſonant) qui antea homines extitere, & inter homines in terra degentes, onuſti magis, quam inquinati ſceleribus, fuerunt poſt funera à ſtultis in *Deos* repoſiti.

Eſto tandem & horum *Providentia* conſulatur rebus humanis: ſi *Deum*, ſeu *Mentem primam*, & *Cauſam cauſarum* exiſtere voluerit Ariſtoteles, ut placet Peripato; hæc dum a Diis geruntur, *Deus* interea ille quid faciet? Forte in utramvis ipſe dormiet aurem, perpetua quiete fruiturus ea, quam eidem aſſignaviſſe Ariſtotelem *Quinta* ſua *Aſſertione* trademus? Cadit ergo ſic in Stagiritæ *Deum* negligere, dormire, oſcitare. Quis deliramenta hominis egregie inſanientis non irrideat? Saltem non videt, ſtultus, quod tantundem *Deo* dignitatis, poteſtatiſque adimit, quantum Providentiæ *Diis* aſcribit, quiſquis ei fuerit *Deus*. Et tamen Peripatum, *Dei Providentiam* hoc loco Ariſtotelem planiſſime expoſuiſſe contendit.

Verum animadvertens, ut non temere opinor, Chriſtianus interpres Lambinus, ocellum ſuum jucundiſſimum Stagiritam, execrandis *Diis* aliquam prius *Providentiam*, quam omnipotenti *Deo* tribuentem, ægre, graviterque id ferens, veluti rimam molitus eſt, per quam ipſius *Dei* nomen in magiſtri ſermone poſſet inſerere,

ut ſic a Lycei doctrina fidelium (Græcum ſaltem ſermonem ignorantium) juſtum odium averteret. Sed agitedum, ite mecum, ut cominus experiamur quid fuerit Lambinus in Ariſtotelis favorem meditatus.

Docet Stagirita, ut apparet, quod ſapiens ſit Θεοφιλέςατος; ipſe vero interpres id Græcum vocabulum, in *Deo cariſſimus* convertit, quando revera foret legendum, *Diis cariſſimus*; quum de *Diis*, non autem de *Deo* ſermo antea fuerit habitus ab Ariſtotele. Dic, quæſo, Lambine, reſponde ſi potes: nonne temetipſo interprete, hæc erit ipſiſſima Ariſtotelei Syllogiſmi forma? *DII Mente quammaxime delectantur, eamque impenſe diligunt, propptereaque illam excolentibus gratiam agunt, præmiaque perſolvunt: atqui hæc omnia ſunt in ſapiente: eſt igitur ſapiens DEO cariſſimus*.

Dic, inquam, quodnam ratiocinandi genus id appellabimus? Præmiſſa, ut dicitur, ſunt in perſona *Deorum*, concluſio vero ad *unum Deum* convertitur. Eruntne apud Ariſtotelem hæc duo tam inter ſeſe adverſis, pugnantia frontibus unum, & idem? Mens nempe prima *Deus*, atque *Dii*. Si ſunt, jam Ariſtotelis *Deus* in propatulo eſt; ſcilicet compactio quædam erit *Deorum*, & *Dei*. Si vero non ſunt: cur præmiſſis concluſio non reſpondeat? Et hunc Syllogiſmum de Ariſtotelis penu eſſe dicemus? Ariſtotelis, dico, illius, qui a vobis Peripateticis parens primus, & Dialecticæ præceptor habetur. Non eſt ita Lambine, non eſt profecto; ſed impudens tua, ac intoleranda licentia, qua Stagiritam e Scyllæ faucibus eripere cupiebas effecit, ut eundem in os Charybdis immiſiſſes, & ex non bono cultore Deorum, peſſimum reddideris Dialecticum.

Neſcio qua via, quave Peripati artificio, ab hoc laqueo captus elabi poſſit Explanator verſutus. Et ſi qui

animo

animo pervicaci adeo inveniuntur, ut his obſtrepere audeant, præſto erit Joannes Argyropylus, Peripato quamvis addictus, qui brevi frangat illorum audaciam. Is porro utraque lingua egregie eruditus vir, in ea loci interpretatione, de qua mihi cum Lambino controverſia fuit, DEI nomen nequaquam addere auſus eſt; verum & mecum faciens, Θεοφιλέςατος illud, in *DIIS cariſſimus*, ut par erat, ab eodem convertitur. En interpretationis Argyropyli verba: *Nam ſi DII curam humanarum rerum (ut exiſtimatur) aliquam habent, rationi ſane conſentaneum fuerit, ipſos eo gaudere, quod eſt optimum, maximeque ſibi cognatum: hoc autem fuerit ipſa Mens; & in eos, qui maxime hoc amant, atque honorant, beneficia viciſſim conferre, tanquam curam iis, quæ ſibi ſunt cara, ac diligentiam adhibentes, & recte, beneque agentes. At conſtat hæc omnia maxime ſapienti ineſſe. Amiciſſimus igitur ſapiens ipſe DIIS immortalibus eſt.*

Ut igitur modum ſtatuamus rei manifeſtæ: quid de *Providentia* ab Ariſtotele præbita erit ſentiendum ab Orthodoxis? Quid? dicam cum Cornelio a Lapide, 68
nempe quod illa *anguſtiis circumſcripta*, *Deo aſpergit labem*.

QVARTA.

DE HOMINIS FELICITATE, ET BEATITUDINE.

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus. 69

MOyſes, necnon cæteri Hebræorum Prophetæ, finem Felicitatis dicunt eſſe Dei totius Univerſi conditoris, & cognitionem, & amicitiam ex pietate por-

porrectam. Pietatem autem veram eſſe docent, ſummum illud omnis virtutis ſtudium, quo in gratia apud Deum manemus: hanc enim eſſe bonorum omnium cauſam; in ſolo enim Deo ſita eſſe hæc omnia, & donari ab eo Dei amatoribus omnia. Conſona hiſce Plato quoque dicit, qui Felicitatis finem definiens, Virtutem eſſe ait. Ariſtoteles vero diverſam ab his ingreſſus viam, non poſſe alia ratione Felicem aliquem fieri, niſi corpus quoque bene ſit affectum, & per rerum externarum abundantiam, ſine quibus, ne virtutem quidem valere.

70 *Tatianus Aſſyrius.*

ILli, quibus aut pulchritudo, aut divitiæ, aut corporis robur, aut nobilitas deeſt, Felices, ſecundum Ariſtotelis ſententiam, eſſe non poſſunt.

71 *Beatus Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus.*

NOn alia ferme ratione poſſe quemquam fieri Beatum, quam proſpero, ac jucundo corporis ſtatu, externarumque rerum affluenti copia; ſine his enim, ajebat *Ariſtoteles*, virtutem nihil utilitatis afferre.

72 *Idem Theodoretus.*

ARiſtoteles autem, tametſi Platonis auditor fuerit, ex illius tamen doctrina parum profecit: ex triplici enim bonorum genere, ideſt Animæ, corporis, ac externis bonis plenam Felicitatem fieri affirmavit. Ajebat enim, qui vere Felix habendus ſit, eum non modo virtute excultum eſſe oportere, ſed robuſta præditum valetudine, ſed egregia forma inſignem, ſed divitiis affluentem; qui autem careat aliquo eorum bonorum, Felicem appellandum non eſſe.

Fran-

Franciſcus Petrarcha. 73

CRedo, hercle, non dubito illum, *Ariſtotelem*, non in rebus tantum parvis, quarum parvus, & minime periculoſus eſt error, ſed in maximis, & ſpectantibus ad ſalutis ſummam aberraſſe tota, ut ajunt, via. Et licet multa Ethicorum in principio, & fine, de Felicitate tractaverit; audebo dicere, (clament ut libuerit cenſores mei) veram illam Felicitatem ſic penitus ignoraſſe, ut in ejus cognitione, non dico ſubtilior, ſed felicior fuerit vel quælibet anus pia, vel piſcator, paſtorve fidelis, vel agricola.

Sed quid cenſores pertimeſcat ſuos in hoc negotio Petrarcha eruditiſſimus non invenio, ſi eo in judicio præcurſorem habuerat Atticum, nobilem e Platonis ſchola Philoſophum ſic ajentem: *Sane Ariſtotelis hac de re libri, ſeu qui ad Eudemum, ſeu qui ad Nicomachum, ſeu qui Magnorum moralium inſcribuntur, nil, niſi puſillum quoddam, humileque prorſus, ac vulgare ſapiunt; atque ejuſmodi, quod homines idiotæ, ac rudes, quod adoleſcentuli, ac mulierculæ cogitare poſſint*. Læto igitur eſto animo, ſecuroque, Petrarcha, ſineſis libenter, jubeo, adverſus Veritatem blateret ineruditorum natio. 74

Melchior Canus Canarienſis Epiſcopus. 75

TAmen ſunt lectores admonendi, ut ne in Ariſtotelis vario verſentur errore, qui in contemplatione rerum ſupremarum ſummum hominis Bonum collocavit. Qui ſi loqueretur de mentibus corpore ſolutis, & vitæ futuræ Felicitatem quæreret, nobis, ideſt D.Thomæ familiæ, aliquid profecto diceret. Sed cum de Immortalitate animi tum hoc, tum illud, nec idem dicat ſemper, quidque potiſſi-

poiſſimum ſentiat difficile ſit intelligere;de altera profe-cto vita, quam vel non habebat exploratam, vel penitus ignorabat, ecquid dicturus erat homo aut Impius, aut certe varius, & anceps, ſenſuumque præſidio deſtitutus, quibus ille adminiſtris in judicio rerum omnium utebatur? De Felicitate igitur præſentis vitæ loquitur. Hinc enim in Ethicis, & Politicis, opes, divitias, amicos, ſalutem, cæteraque hujus Mundi caduca etiam, & temporaria bona, quaſi Felicitatis adjumenta requirit. Et in libro *de bona Fortuna*, ſine exterioribus bonis, quorum Fortuna, ut ait, eſt domina, negat aliquem Felicem eſſe.

76 *Joannes Ludovicus Vivis.*

PRincipio Socrates apud Platonem, non uno loco clauſulas ſuarum diſputationum huc deduxerat, non eſſe in vita hac expectandam Felicitatem hominis, ſed in altera. Hoc agit in Philebo, hoc in Convivio, idem & moriens, in Phædone. Ariſtoteles in vita hac quærit Beatitudinem, alteri nihil reliquit. Nec ſolum finem bonorum hic ſtatuit, ſed etiam ſapientiam: & Simonidem, ut Poetam deridet, qui dixerit, ſolum Deum eſſe ſapientem; quod videlicet invideret Deus hominibus, ſi nollet eos aſſequi ſapientiam, bonum tantopere ab ipſis expetitum. Ubi eſt ergo illa vox modeſtiæ plena, *Mentem noſtram caligare ad manifeſta Naturæ*? Quanto rectius, & religioſius Plato: *Humana ſapientia, aut nihil, aut perparum eſt, ſolus Deus ſapiens eſt.*

Addit aliud argumentum. Quid eſſet homine infortunatius, ſi ita quæreret, & concupiſceret, quæ nunquam aſſequeretur. Eodem utitur telo ad evincendum, hic eſſe homines Felices, videlicet quia, quod omnes hominnes expetunt, naturale eſt; at naturalia fruſtra eſſe

Digitized by Google

eſſe homines felices, videlicet quia, quod omnes homines expetunt, naturale eſt; at naturalia fruſtra eſſe non queunt; expetunt porro Beatitudinem omnes: qui appetitus inanis eſſet, ſi nullus eam nanciſceretur, nec fieret voti compos. O argumentator Ariſtoteles, ingredere alia, & pervenies ad verum; converte ſic argumentum: Beatitudinem omnes expetunt; naturalis ergo appetitus; non ergo vanus; atqui hic nulli aſſequuntur, ut res docet; alibi ergo eſt quærenda. Hæc via Socratem,& magiſtrum tuum Platonem ad verum adduxit,qui in amore, & conjunctione illius pulchri, quo nihil fieri poteſt pulchrius,nec intermiſſiones ſentit pulchritudinis, aut vices, nec finem illius habiturus eſt, extremum bonorum omnium, & faſtigium ſtatuit; qua ſententia nihil dici admirabilius, aut divinius poteſt......

Sed Ariſtotelicam Felicitatem contrariam eſſe pietati noſtræ, atque ideo rectæ rationi, neminem puto dubitare: nam pietas, non in vita hac brevi, & imbecillo corpore, caſibus, & calamitatibus objecto ponit Felicitatem, nec tam male agit nobiſcum, ſed in illo immortali ſpiritu noſtro injuriæ omnis experti, ad immutabilem firmitatem refecto, hoc eſt munus ampliſſimum, & plane dignum Deo ſempiterno, ac præpotenti. Dicunt, locutum eum de Felicitate ævi hujus. Sed nec ad eam formam quiſquam eſt Beatus. Non illi, quos vulgus pro Beatis habuit Metellus, Curiones, Auguſtus, Alexander, Argathonius. Non quos pronunciarunt Dii beatos Phedius, & Aglaus. Non quos Philoſophi exactiori judicio Beatos dixerunt Regulus, Rutilius, Cato, Socrates, Zeno. Jam redit prima difficultas, appetitum noſtrum in caſſum optare, quod nunquam aſſequetur. Jam, quæ eſt verior vitæ Beatitudo, quam quæ inchoat illam ſempiternam, de qua dicit Pſalmiſta: *Bea-*

ti immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.

Dominus noſter octo beatitudines vitæ hujus recenſet, multum ab Ariſtotelicis diverſas, imo adverſas. Cedo utras tu divitias nominaris ſutoriam, aut rhedariam artem, quæ ſemper maligniſſime, ac ſordidiſſime poſſeſſorem ſuum ſuſtentant? An oratoriam, jus civile, rationem Reipublicæ adminiſtrandæ diſcere, atque exercere, quæ facultates in præſens quum diſcuntur nihil adferunt; cognitæ vero, ac perceptæ, honores ingentes, opeſque ſuſtollunt? At loquutus eſt, inquiunt, ut Gentilis, & in lumine Naturæ: minime vero iſtuc equidem; nam non eſſe illud Naturæ lumen oſtenditur, quod alii rectius ingreſſi ſunt Naturæ lumine adjuti, & ducti, ut Platonici, ac Stoici. Sed quid iſtuc tamen eſt: ſumuſne ſani? habemus lumem, ſcimus quæ ſit vera Beatitas, qua ad illam eundum, & diſputamus adhuc de Ariſtotelica Beatitudine. An duas facimus Beatitudines, unam Chriſti, alteram Ariſtotelis?

Ecce iterum blaſphema de Beatitudine diſſectio, ut dudum de lumine. Si Ariſtotelica Beatitudo expetenda hic eſt, Chriſti Beatitudo non eſt hic expetenda; neque enim contraria poſſunt eodem loci, & temporis, ad idem & loci, & temporis concupiſci. Si Ariſtolica Beatitudo commentitia eſt: quid laboramus quomodo eam tueamur? Quid eadem ratione omnes omnium Philoſophorum de Summo Bono inſanias in ſcholam adducimus, & eas conſueſcimus propugnare? An vero ludimus in ſententia de Beatitudine, ideſt de Summa totius vitæ? Periculoſum eſt contra veritatem pro falſo ſtare; quanto periculoſius in re tanti momenti? de Religione, de cardine, in quo vita univerſa volvitur. Si ficta eſt Ariſtotelis

ſtotelis Beatitudo, valeat, etiam Gentilibus ipſis parum ſana, & pia: nos vera diſcamus & ſcire, & tueri. *Hactenus Vivis*.

Ad dubitationem omnem, quemcunque ad tollendum ſcrupulum, operæ duxi, ut ore proprio ipſum audiamus Stagiritam de Felicitate diſſerentem, qui,ut Nazianzenus ait, *humiliter*, *& ſordide* in hoc Mundo ubi non eſt, nec inveniri poteſt illam quæſivit; de alterius vera, ſempiternaque nihil penitus docens, quum eam neque curaverit, neque noverit: *Non invenitur quod Ariſtoteles ponat Felicitatem poſt hanc vitam*; nos commonefacit Sanctus Eccleſiæ doctor Bonaventura. Stagi- 77
ritæ quamobrem verba hic adnumerabo. Ἄριστον ἄρα, καὶ κάλλιστον, καὶ ἥδιστον ἡ εὐδαιμονία....... Φαίνεται δ᾽ ὅμως καὶ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν προσδεομένη, καθάπερ εἴπομεν· ἀδύνατον γὰρ, ἢ οὐ ῥᾴδιον, τὰ καλὰ πράττειν, ἀχορήγητον ὄντα. πολλὰ μὲν γὰρ πράττεται, καθάπερ δι᾽ ὀργάνων, καὶ διὰ φίλων, καὶ πλούτου, καὶ πολιτικῆς δυνάμεως. ἐνίων δὲ τητώμενοι, ῥυπαίνουσι τὸ μακάριον, οἷον εὐγενείας, εὐτεκνίας, κάλλους· οὐ πάνυ γὰρ εὐδαιμονικὸς ὁ τὴν ἰδέαν παναισχὴς, ἢ δυσγενὴς, ἢ μονώτης, καὶ ἄτεκνος· ἔτι δ᾽ ἴσως ἧττον, εἴτῳ πάγκακοι παῖδες εἶεν, ἢ φίλοι, ἢ ἀγαθοὶ ὄντες τεθνᾶσι. καθάπερ οὖν εἴπομεν, ἔοικε προσδεῖσθαι καὶ τῆς τοιαύτης εὐημερίας. i. e. *Optimum ergo & pulcherrimum, & ju-* 78
cundiſſimum eſt ipſa Felicitas....... Videtur tamen & externis indigere bonis, ut diximus. Fieri enim non poteſt, aut non facile ſit, ut is res agat præclaras, cui facultates deſunt. Multa nanque per amicos, per divitias, per civilem potentiam, tanquam per inſtrumenta aguntur. Quibuſdam autem carentes, ut nobilitate, bona prole, pulchritudine, Beatitudinem maculant. Non enim ſatis ad Felicitatem idoneus eſt, qui penitus eſt deformis, aut ignobilis, aut ſolitarius ſine prole;

& minus etiam fortaſſe, ſi cui perpauci ſint filii, vel amici, aut boni mortui ſint. Ut igitur diximus, videtur Felicitas & talis indigere proſperitatis.

His abſimilia nequaquam ſunt, quæ alio ejuſdem libri loco, Priami exemplo per hæc verba affert. Πολλαὶ γὰρ μεταβολαὶ γίνονται, καὶ παντοῖαι τύχαι κατὰ τὸν βίον· καὶ ἐνδέχεται τὸν μάλιστα εὐθηνοῦντα, μεγάλαις συμφοραῖς περιπεσεῖν ἐπὶ γήρως, καθάπερ ἐν τοῖς ἡρωϊκοῖς περὶ Πριάμου μυθεύεται. τὸν δὲ τοιαύταις χρησάμενον τύχαις, καὶ τελευτήσαντα ἀθλίως, οὐδεὶς εὐδαιμονίσει. *Multæ nanque mu-*
79 *tationes in vita fiunt, variæque fortunæ. Atque fieri poteſt, ut is, qui maxime bonis abundant, in magnas incidat in ſenectute calamitates, ut in heroicis de Priamo dicitur. Eum autem, qui tali fortuna eſt uſus, & miſerabiliter obiit, nemo Felicem dicet.*

Quanta id ingeniorum ſalertia comprobare ſtuduerint Peripatetici, Gelli narratio manifeſtiſſime prodet, quam totidem verbis, ut hic appoſitam, in primo capite libri decimioctavi *Noctium Atticarum* ejus ſcriptam invenies. Familiares Favorini duo erant quidam non incelebres in urbe Roma Philoſophi. Eorum fuit unus Peripateticæ diſciplinæ ſectator, alter Stoicæ. Iis quondam ego acriter, atque contente pro ſuis utrinque decretis propugnantibus, cum eſſemus una Oſtiæ omnes, cum Phavorino interſui. Ambulabamus autem in litore cum jam adveſperaſceret æſtate anni novi. Atque ibi Stoicus cenſebat & Vitam Beatam hominum virtute animi ſola, & miſeriam ſummam malitia ſola poſſe effici, etiam ſi cætera bona omnia, quæ corporalia, & externa appellantur, virtuti deeſſent, malitiæ adeſſent. Ille contra Peripateticus, miſeram quidem Vitam, vitiis animi, & malitia ſola fieri concedebat; ſed ad complendos omnes Vitæ Beatæ numeros, virtutem ſolam ne-

nequaquam ſatis eſſe exiſtimabat; quoniam & corporis integritas, ſanitaſque, & honeſtus modus formæ, & pecunia familiaris, & bona æſtimatio, cæteraque omnia corporis, & fortunæ bona neceſſaria viderentur perficiendæ Beatæ Vitæ. Reclamabat hoc in loco Stoicus, & tanquam ille duas res diverſas poneret, mirabatur; quod cum eſſet Malitia, & Virtus duo contraria, Vita miſera, & Beata quoque æque contraria, non ſervaret in utriſque vim, & naturam contrarii, & ad Miſeriam quidem vitæ conficiendam ſatis valeret Malitiam ſolam putaret; ad præſtandam vero Vitam Beatam, non ſatis ſolam eſſe Virtutem diceret. Atque id maxime diſſidere, neque convenire dicebat, quod qui profiteretur, Vitam nullo pacto Beatam effici poſſe, ſi Virtus ſola abeſſet, idem contra negaret, Beatam fieri Vitam cum ſola Virtus adeſſet, & quem daret, haberetque abſenti Virtuti honorem, eundem patenti, atque præſenti adimeret. Tum Peripateticus perquam, hercle, feſtive: rogo te, inquit, cum bona venia reſpondeas, an exiſtimes eſſe vini amphoram, cum abeſt ab ea unus congius? Hæc ubi accepit Stoicus; minime, inquit, vini amphora dici poteſt, ex qua abeſt congius. Hoc ubi accepit Peripateticus: unus igitur congius amphoram facere dici debebit, quoniam cum deeſt ille unus, non fit vini amphora, & cum acceſſit, fit amphora. Quod ſi id dicere abſurdum eſt, uno congio ſolo fieri amphoram, itidem abſurdum eſt, una ſola Virtute Vitam fieri Beatam dicere, quoniam cum Virtus abeſt, Beata eſſe Vita nunquam poteſt. Tum Favorinus reſpiciens Peripateticum: Eſt quidem, inquit, argutiola hæc, qua de congio vini uſus es, expoſita in libris; ſed ut ſcis, captio magis lepida, quam probum, aut ſimile argumentum videri debet, Congius enim cum deeſt, efficit quidem

ne

ne ſit juſtæ menſuræ amphora; ſed cum accedit, & additur, non ille unus facit amphoram, ſed ſupplet. Virtus autem, ut iſti dicunt, non acceſſio, neque ſupplementum, ſed ſola ipſa Vitæ Beatæ inſtar eſt, & propterea Vitam Beatam ſola una cum adeſt facit.

Occaſione iſta, quamplurima de technis, quibus propriis in promovendis hæreſibus uti conſueverat antiquum Lyceum dicere cogitabam; veritus tamen, ne ſi fuerim in his diutius commoratus, propoſiti oblitus, præter morem, apparerem; ad alium propterea non minime idoneum illa locum transferenda decrevi. Verumenimvero animadverſione digniſſimum reputo, quod primi homines illi Peripati pediſequi, negotium tanti momenti, quale Felicitas eſt, interrogatiunculis frivolis, captioſiſque verbis definire ſint auſi. Puerilem vero iſtam decipiendi adverſarium oſtentationem nos admonet cavendam Eccleſiæ Sanctæ Doctor Auguſtinus. Quid, quod etiam Gentiles ipſi idem docere videntur? Arceſilaus Philoſophus, qui mediam primus Academiam invexit, hujuſmodi Dialecticos deridens, (narratore Stobeo) præſtigiatoribus calculariis ſimiles illos fecit, quippe qui jucunde decipiant: Ἀ'ρκεσίλαος ὁ φιλόσοφος ἔφη, τοὺς διαλεκτικοὺς ἐοικέναι τοῖς ψηφοπαίκταις, οἵ τινες χαριέντως παραλογίζονται. Quid, quæſo, vini amphoræ, quid concii utendum exemplo, ad addendum Virtuti pro Felicitatis complemento divitias, pulchritudinem, nobilitatem, civilem potentiam, hujuſce generis alia fallacis mundi hujus bona, quando hæc omnia infirma quum ſint, & ἐφήμερα, Felicitatem veram non poſſunt efficere? Scite ſatis dicebat Cicero: ***Si amitti Vita Beata poteſt, Beata eſſe non poteſt. Quis enim confidit ſemper ſibi illud ſtabile, & firmum permanſurum, quod fragile, & cadacum ſit? Qui autem diffi-***

diſſidet perpetuitati bonorum ſuorum, *timeat neceſſe eſt*, *ne aliquando amiſſis illis*, *ſit miſer*. *Beatus eſſe in maximarum rerum timore nemo poteſt*. In ſempiternis igitur, & ut verbo dicam, in ipſo Deo Felicitas, veraque Beatitudo, non autem in Paganorum delirantium ſomniis, vetuſtioris præcipue Peripati, quærenda eſt.

QUINTA:
DE DEO ABSURDA.

DIvus Baſilius ait: *Non laudo diligentiam illam circa res minutas*, *& negligentiam circa præcipua in Ariſtotele*: & Theodorus Gaza, aliquos dixiſſe refert: *Multa Ariſtoteles de muſca*, *de apicula*, *de ver-* 80
miculo, *pauca de Deo*: ſed cur non addendum, *& illa abſurda*? Gentilium porro Philoſophorum neminem tam turpiter de Deo ſenſiſſe legitur. Libertatem ipſe in agendo illi eripuit; ejuſque Providentiam ſi non penitus ademit, certis circunſcripſit finibus. Eum etiam Xerſi, Cambyſi, aut Dario regibus parem fecit, qui ipſi per ſe maxima, pulcherrimaque regni munia obeant, minora vero, & ſordida mandent aliis. Dicitque Deum ζῶον, *Animal* eſſe perpetuum, vocatque illum communi notione, *Subſtantiam quamcunque Cæleſtem*, *& divinam*. Nunc Mentem ipſam Deum vocat, nunc Cœlum, cujus anima Mens eſt. Itemque arbitratur, Deum extremo Cœlo affixum, per ſe illum movere, quemadmodum cæteræ Mentes ſuos movent orbes; ſuntque ex
Ariſtoteli ipſorum orbium animæ, ut etiam Divus Tho- 81
mas admittit. Voluit amplius, nihil poſſe a Deo immediate procedere; ſed omne novum contingere per viam motus, & per operationem Naturæ. Et quia ſecundum ipſum, quidquid fit, ex materia præjacente fit,

ſit, ideo voluit, quod non poſſet eſſe alius Mundus; quamobrem in Dei poteſtate non erit alium Mundum facere, quoniam iſte ex tota ſua materia conſtat. Hæc & hujus generis alia ſexcenta in Stagiritæ voluminibus leges: nos vero a noſtra methodo minime declinantes, quamplurium illius blaſphemiarum, celeberrimorum teſtimonia virorum hic in medium afferre ſtatuimus.

82 *M. Tullius Cicero.*

ARiſtoteles quoque in tertio de Philoſophia libro multa turbat a magiſtro Platone diſſentiens. Modo enim Menti tribuit omnem divinitatem; modo Mundum ipſum, Deum dicit eſſe; modo alium quendam præficit Mundo, eique eas partes tribuit, ut replicatione quadam Mundi motum regat, atque tueatur; tum Cœli ardorem, Deum dicit eſſe, non intelligens, Cœlum Mundi eſſe partem, quem alio loco ipſe deſignaverit Deum.

83 *Plutarchus Chæronenſis.*

ARiſtoteles ſupremum Deum ait eſſe ſpeciem ſeparatam, quæ inſiſtat globo Univerſi, qui globus corpus eſt æthereum, quintum ab eo nominatum; quod cum in orbes, ſeu ſphæras ſit diviſum, natura contiguas, ratione ſejunctas, harum quamvis exiſtimat eſſe animal ex anima, & corpore compoſitum, quorum corpus æthereum ſit, ac in orbem circumducatur, anima autem ratio immobilis, motum actu efficiens.

84 *Joannes Lodovicus Vivis.*

ARiſtoteles quum Mundum æternum affirmaſſet, Deum ſupremo affixit Cœlo naturaliter operantem, preſſum neceſſitate, ne quid aliter poſſit agere, quam

ſicut

ſicut agit, ut fata, & leges non ipſum minus, quam res aſtringant, & ſit quod Poetæ dicunt:

Fato ſtat Jupiter ipſe;

& Lucanus:

Se quoque lege tenens, & ſecula juſſa ferentem.

Adimit Deo Ariſtoteles id, quod in entibus ratione, atque intelligentia præditis eſt optimum, libertatem, & ex principe Mundi facit miniſtrum Naturæ, cui in agendo ſerviat. At vero ubicunque ſunt actio Naturæ, & voluntatis, potior ſemper, atque antiquior eſt voluntaria, ut in homine. At tantus rerum ſcrutator, quod potius eſt, & melius Deo detrahit, cogitque in ordinem, non ſaltem a ſe ipſo admonitus cum *Politica* ſcriberet, Regem non eſſe legibus ſubditum: quam ſententiam a Jure, & conſtitutione juſtitiæ ipſe idem acuta ratione, quare id fieri oporteret, communivit. Quod ſi par eſt humanum Principem ignorationi, imbecillitati, mutationibus ſubditum, non teneri legibus, quanto minus decet illum teneri ſapientiſſimum, omnipotentem, in bono immutabilem? Jam quod ſcripſit, neceſſitate abstulit ab eo cultum omnem, charitatem, gratiam. Quis enim ei quicquam debeat, qui quæ agat non poſſit aliter agere? Qui igni habet gratiam quod carnes coxerit, & aquam fervefecerit; aut aquæ quod nos humectarit, ac refrigerarit? Naturalia ſunt eorum opera, nec poſſunt aliter agere. Coco, & miniſtris gratiam habemus, qui quæ poterant non præſtare, ſi libuiſſet, præſtiterunt tamen noſtra cauſa. Si quis Deum illum Ariſtotelicum imploret, atque oret ſupplex, ut quid vel tribuat commodi, vel avertat damni: quid cenſetis illum reſponſurum? Tu vero fruſtra conſumis tempus, & verba, qui mihi ſupplicas: non enim ea, quæ tu poſcis, in manu mea eſt tribuere; legibus definitis, præfixiſque vado,

nec minore premor neceſſitate in agendo, quam tu in patiendo. Si quæ largiar proderunt tibi, utere; ſin ſecus, fer tu neceſſitatem tuam æquo animo, ſicut ego fero meam magno. O ſortem natura, & majeſtate Dei indignam!

85 *Alfonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis.*

CONceſſit quippe Ariſtoteles infinitatem Primæ cauſæ in duratione; ſed in eſſentia, aut potentia non conceſſit. Et quidem rationabiliter quantum ad intentionem ſuam. Nam ſi concedat omnipotentiam Dei, non admittet aliquam propoſitionem neceſſariam in naturalibus, quæ ſunt in motu, cum tamen ipſe omnes aſſerat neceſſarias. Aſſerit neceſſario Solem cras oriturum, & ſimiles propoſitiones, quarum veritas dependet ex motu, & has dicit inevitabiles, quia exiſtimat nullam cauſam eſſe in tota rerum univerſitate potentem impedire hunc eventum. Si tamen concedat omnipotentiam Primæ cauſæ, nullam harum propoſitionum, quæ in motu ſunt, ſive ad Naturam, ſive ad aſtronomicam conſiderationem pertineant, dicet eſſe neceſſariam, & conſequenter tollet neceſſitatem ſimpliciter, ſine qua non exiſtimat eſſe ſcientiam. Nam tunc ſcire aliquid opinamur ſimpliciter, & non ſophiſtico modo, (quod eſt ſecundum accidens) cum cauſam cognoſcimus propter quam res eſt, & quoniam illius cauſa eſt, & quia non eſt contingens aliter ſe habere; ut patet in primo *Poſteriorum*. Et tamen Philoſophi volebant haberi ſcientiam, ideo excluſerunt omnia illa per quæ tollebatur ſcientia. Hoc autem eſt per omnipotentiam Primæ cauſæ, ideo negaverunt aliquam cauſam eſſe in rebus omnipotentem, & hoc dicit impiiſſimus Commentator Averroes, quod Nazareni, ideſt Chriſtiani, ſunt indiſpoſiti

ad

Digitized by Google

ad ſcire, quia concedunt miracula, & omnipotentiam Dei, & hoc modo tollunt neceſſitatem rerum.

P. Molina Jeſuita. 86

MUlta alia reperies in Ariſtotelis doctrina, quæ teſtantur eum exiſtimaſſe, Deum agere ex neceſſitate Naturæ, neque poſſe producere aliquid de novo, niſi interventu cauſarum ſecundarum.

Atticus Philoſophus Platonicus. 87

DUm excellentem illam, divinamque naturam abigens, ſpem ſimul futuri omnem animo reſecat *Ariſtoteles*: ſimul etiam hic erga Superos obſervantiam, ac pietatem aufert.

Lactantius Firmianus. 88

ARiſtotelem Deum nec coluiſſe, nec curaſſe *dicit*.

Origenes Clementis Alexandrini diſcipulus. 89

NEque preces quicquam juvare, neque ſacrificia, *Peripateticos antiquiores voluiſſe ſcribit*.

Athenagoras Athenienſis. 90

ARiſtoteles vero, ejuſque ſectatores Deum & ipſi unum colebant, ſed illud tanquam Animal quoddam, ex Corpore, & Anima componunt. Corpus ejus æthereum, vel ipſum ætherem eſſe arbitrati, & ſtellas erraticas, & ſiderum fixorum ſpheram, quæ in orbem ſuo motu aguntur; animam vero, rationem motionis iſtius, quæ quidem ipſa non moveatur, ſed corporis motum efficiat, eique præſit.

91 *Divus Anſelmus*.

QUidquid futurum eſt, neceſſe eſt futurum fuiſſe. Hæc eſt illa neceſſitas, quæ (ut tractat Ariſtoteles de propoſitionibus ſimplicibus, & futuris) videtur utrumlibet deſtruere, & omnia eſſe ex neceſſitate aſtruere.

92 *Sanctus Clemens Alexandrinus*.

SEd nec moleſtum fuerit, ut arbitror, cum ad hunc locum pervenerim, meminiſſe etiam Peripateticorum, cujus quidem ſectæ qui eſt pater, nihil de eo Patre, qui eſt ſupremus intelligens, putat eſſe Animam Univerſi; hoc eſt, Mundi animam Deum eſſe exiſtimans, ipſe a ſe ipſo confoditur. Qui enim uſque ad Lunam ejus definit Providentiam, deinde Mundum Deum eſſe exiſtimat, avertitur ut qui eum, qui eſt Dei expers, Deum eſſe arbitretur.

Teſtibus me clariſſimis viris pollicitus ſum palam facturum, quid de omnipotenti, ſempiternoque Deo turpiter ſenſerit Ariſtoteles; quumque id conſilium abunde, quod autumo, expleverim, ipſum modo reſtat Stagiritam de ſe ipſo teſtimonium audire dicentem, ut de illius mente omnis dubitatio tollatur. Primum quidem decumana illa ſe nobis offert inſania, qua Deum
93 malorum fieri poſſe effectorem pronuntiat: *Poteſt enim Deus* (ait) *& vir probus quæ mala ſunt efficere, non tamen tales ſunt*; Δύναται μὲν γὰρ καὶ ὁ Θεὸς, καὶ σπουδαῖος τὰ φαῦλα δρᾷν, ἀλλ' οὐκ εἰσὶ τοιοῦτοι.

94 Deinde Deum præparcæ poteſtatis effinxit inquiens, Divinam virtutem, potentiam, ac providentiam, ſervata ab iis diſtantiæ proportione, corporibus inferioribus impertiri; ita ut hæc terrena longo intervallo a Deo diſtantia, (illum cum Homero in vertice ſummi Cœli lo-

locans) minus, minuſque illius virtute fruantur: propterea que terra, & quæ in ea ſunt, infirma, multiſque obnoxia perturbationibus eſſe dicit. In ſecundo autem *de Generatione* libro docet, quædam etiam corpora, 95 quoniam a Deo diſtant longius, ideo non eſſe perpetua.

Hæſitat præterea, num perenni motu Deus agitetur, an vero quieſcat ſemper immobilis? Sed quid certo definiat ignorans, utrumque inepte de eodem affirmat: Θεῦ δὲ ἐνέργεια, ἀθανασία· τῦτο δὲ ἐςὶ ζωὴ 96 ἀΐδιος. ὥςε ἀνάγκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν: *Dei vero operatio immortalitas eſt; hoc autem eſt perpetua vita. Quare Deo perpetuum ineſſe motum neceſſe eſt,* ſcribit aliquando. Alio vero loco contrarium aſſeverans, 97 illum prorſus facit immobilem: Ἐπεὶ εἴ τῳ ἡ φύσις ἁπλῆ εἴη, ἀεὶ ἡ αὐτὴ πρᾶξις ἡδίςη ἔςαι· διὸ ὁ Θεὸς ἀεὶ μίαν καὶ ἁπλῆν χαίρει ἡδονήν· ὐ γὰρ μόνον κινήσεώς ἐστιν ἐνέργεια, ἀλλὰ καὶ ἀκινησίας· καὶ ἡδονὴ μᾶλλον ἐν ἠρεμίᾳ ἐςὶν ἐν κινήσει. μεταβολὴ δὲ πάντων γλυκύτατον κατὰ τὸν ποιητὴν, διὰ πονηρίαν τινά· ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπος εὐμετάβολος, ὁ πονηρὸς· καὶ ἡ φύσις, ἡ δεομένη μεταβολῆς· οὐ γὰρ ἁπλῆ, οὐδ' ἐπιεικής: *Nam ſi cujus natura ſimplex ſit, eadem actio ſemper erit jucundiſſima. Itaque ſemper una, & ſimplici voluptate Deus potitur. Non enim motionis tantum functio eſt aliqua, ſed etiam vacuitatis a motione; magiſque eſt in quiete, quam in motu voluptas. Mutatio autem rerum omnium dulciſſima eſt, ut ait Poeta, propter improbitatem quandam hominum. Quemadmodum enim homo vitioſus, ingenio mobili, ac mutabili eſt, ſic ea natura, quæ mutationem deſiderat, mala, ac vitioſa eſt. Non enim ſimplex, neque bona eſt.*

Quis eſt enim, qui hæc tam abſurda, tam ſibi adverſantia de Deo ab Ariſtotele videns expoſita, non eum

cere-

cerebro penitus caruiſſe dixerit? Quis illum terminos perfectæ inſaniæ poſtremos tranſiliviſſe negabit? & tamen ipſi quid magis ſtulte adderet præſto fuit; proferre quippe auſus eſt: *Etenim ut feræ neque vitium eſt,*
98 *neque virtus, ſic neque Dei.* En addo ejus verba: Καὶ γὰρ ὥσπερ οὐδὲν θηρίου ἐστὶ κακία, οὐδ' ἀρετὴ, οὕτως οὐδὲ θεοῦ. Balbum præſtabat Philoſophum penitus eſſe elinguatum, quam in uſus tam deſtandos linguam habere.

Has igitur de ſempiterno Deo abominandas aſſertiones in Græcia ſua late diſſeminavit, ſparſitque Ariſtoteles, quibus anſam, quod autumo, Eurimedonti, vel Demophilo eum accuſandi porrexit. Et tamen Athe-
99 næus, & Scaliger, ut dixi, veluti de fumo diſceptantes, ut Stagiritam a turpiſſima Impietatis nota mundarent, in controverſiam vocavêre: num in Hermeam ab eo ſcriptus Pæan, ſacer fuerit Hymnus, necne? quando uberrimam ſceleſtorum ejus dogmatum meſſem cumulato potuerint modio dimetiri. O cogitationes inanes! Erubeſcant quamobrem, conticeantque illi, qui de Ariſtotelis æterna ſalute, qui de ejuſdem Pietate erga Deum, & homines, quique etiam de illius ſcripſere Theologia.

Deteſtandum quoddam hominum genus, e Philoſophi hujus ſegete lolium aliquando colligens, puriſſima orthodoxæ Fidei arua coinquinare ſategit, vitali nempe tritico inficientem immiſcendo zizaniam: Monophyſitæ ex Ariſtotele prodierunt per Joannem Gramma-
100 ticum, teſte Nicephoro. Porretani, ex Gilberto Ariſtotelico, qui Trinitatem, & attributa Dei per Ariſtotelem volebat metiri, damnatur in Concilio Rhemenſe, & a D. Bernardo ſuper Canticum. Petrus Abailardus, Scripturas ſubjecit Philoſophis, præcipue Ariſtoteli, & Patres dixit eſſe ignorantes, & nihil dictorum

ſuo-

ſuorum probaſſe, ut patet ex epiſtola Bernardi ad Innocentium III. Arrius hæreſiarcha Ariſtotelicus, teſte Baronio tom.II. Item Carpocratiani, & Theodoſiani heretici, adorabant Ariſtotelem pro Deo, ut Baronius tom.III. Exiit quoq; liber de tribus Impoſtoribus in Germania, juxta Averrois, & Ariſtotelis dogmata volentium, Legislatores eſſe impoſtores, & præcipue, ut dicit Averroes, Chriſtum, Moyſem, & Mahometem. Hactenus ipſiſſima P. Thomæ Campanellæ Prædicatorum ordinis verba recitavi.

De facto iſto apertiſſimum quoque teſtimonium dicunt Sancti illi, doctique Eccleſiæ Patres, qui ad mundandas Fidei labefactatas meſſes fuere a Deo deſignati: quiſnam melius & ſeminis genus, & eum qui primus ſementem fecerit noviſſe ſperandum? Eoſdem, quæſo, una mente, atque voce una adverſus Ariſtotelem conclamantes audiamus.

Sanctus Hieronymus. 101

Accedit ad hoc quod Arriana hæreſis magis cum ſapientia ſeculi facit, & argumentationum rivos de fontibus Ariſtotelis mutuavit.

Divus Ambroſius. 102

Nonne ex Philoſophia (*Ariſtotelis*) omnem impietatis ſuæ traxerunt colorem? (*Arriani*).

Beatus Epiphanius. 103

Huic argumento non diſſimile eſt aliud ab novis illis Ariſtotelicis inventum. Nam hujus Philoſophi virus omne in ſe ipſis expreſſerunt, & innocentem Spiritus Sancti ſimplicitatem, benignitatemque reliquerunt, de quibus ita Dominus loquitur: Diſcite a me, quia

quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.

104 *Idem Epiphanius*:

ANomæi, ſive Aëtiani Chriſtum, & Spiritum Sanctum a Deo funditus alienum eſſe prædicant, quos creatos eſſe, neque quicquam habere ſimilitudinis aſſerunt: Quippe ſyllogiſmis quibuſdam Ariſtotelicis, ac geometricis Dei naturam explicare ſtudent, iiſdemque probare Chriſtum a Deo oriri non poſſe.

105 *Rurſus ipſe Epiphanius*:

HIc igitur Aëtius ad adultam ætatem uſque externarum diſciplinarum, uti narrant, fuit omnino rudis. Tandem vero, cum Alexandriæ Ariſtotelico cuidam Philoſopho, ac ſophiſtæ navaſſet operam, ab eoque Dialecticam didiciſſet, totus in illud incumbuit, ut divinarum rerum rationem omnem quibuſdam figuris explicaret.

106 *Venerabilis Beda*.

GEntilis quidam Philoſophus, *in Nycena Synodo*; Ariſtotelicis permultum armatus argumentis, Chriſtianos creberrimè provocans, a nullo penitus Doctorum, etiam Dialectica arte illuſtrium, quibat ſuperari, donec exurgens unus miræ ſanctitatis Epiſcopus, ſophiſticæ quidem locutionis funditus ignarus, ſed divinæ Fidei ſapientia præclarus, multifidas ejus verſutias, ſimplici per omnia, ſed veraci perſecutione ceſſaret.

107 *S. Baſilius*.

QUod autem hæc ex mundana ſapientia deblateret, *Eunomius*, præ qua erecta cervice tales verborum nova-

novationes aggreſſus eſt, non difficile eſt oſtendere. Sunt enim Ariſtotelis de habitu, & privatione verba, qui poſteriores habitibus privationes eſſe dicit; id quod teſtari poſſunt, qui hæc legerunt in ipſius Prædicamentis.

Fauſtinus. 108

NOli, infelix, adverſus Chriſtum Dominũ totius creaturæ, Ariſtotelis artificioſa argumenta colligere, qui te Chriſtianum qualitercumque profiteris. Ubi nunc ſunt impia illa veſtra ſophiſmata, quæ Ariſtotelis Epiſcopi veſtri magiſterio didiciſtis? *In Arrianos invehitur.*

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus. 109

ARiſtoteles, & Theophraſtus ab his, *Artemoniis hæreticis*, in admiratione habentur; Galenus vero a nonnullis eorum adoratur, quorum artibus, & doctrinis hæreſeos ſuæ impietatem nituntur aſſerere, & deceptionibus hominum ignorantium Deum, ſimplicitatem divinarum Scripturarum, & ſinceritatem Fidei ſubruunt.

Divus Gregorius Nyſſenus. 110

HIc, *Eunomius*, accurate promulgans Ariſtotelicam diviſionem, noſtro ſermoni affixit genera, & ſpecies, & differentias, & individua, & omne quod eſt in Categoriis artificium, ad calumniam noſtrorum decretorum in medium protulit.

Sanctus Ambroſius. 111

NIhil nobis cum Philoſophia, ne Fidem noſtram per elementa hujus mundi traducat a vero, ne quis aſſertionem noſtram per Philoſophiam deprædetur. Sic enim Arrianos in perfidiam ruiſſe cognovimus, dum

Chriſti generationem putant uſu hujus ſeculi colligendam, relinquunt Apoſtolum, ſequuntur Ariſtotelem.

112 *Eccleſiæ Doctor eximius B. Auguſtinus.*

DE reliquis ſane non habes omnino quid dicas. (*Juliane*) Nunquid Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Gregorius, Baſilius, Ambroſius, & Joannes de plebeia fæce ſellulariorum, ſicut Tulliane jocaris, in veſtram invidiam concitati ſunt? Nunquid ſcholaſtici auditoriales? Nunquid nautæ, tabernarii, cetarij, coqui, lanii? Nunquid adoleſcentes ex monachis diſſoluti? Nunquid, poſtremo, de qualicunque clericorum turba iſti ſunt, quos urbana exagitatos dicacitate, vel potius vanitate, contemnis, quia non poſſunt ſecundum Categorias Ariſtotelis de dogmatibus judicare? Quaſi tu, qui maxime quereris, examen vobis, & Epiſcopale judicium denegari, Peripateticorum poſſis invenire concilium, ubi de ſubjecto, & iis quæ ſunt in ſubjecto, contra originale peccatum Dialectica ſententia proferatur. *Hæc Auguſtinus.*

113 Quid quæris? Judice Divo Cyrillo, *Heretici nihil aliud, quam Ariſtotelem crepant; nihil aliud, quam Ariſtotelem ructant*. Quis arma Macario Epiſcopo adverſus Eccleſiæ Patres omni ſeculo venerandos, & quinque ſancta Generalia Concilia porrexit, niſi Ariſtoteles ſuis ſyllogiſmis? Audienda ſancta Synodus generalis Conſtantinopolitana, de eodem agens Macario. *Relecto jam libello Macarii .... Inſuper autem ad relegen-*
214 *dum incepto etiam præſente ſermone ad Lucam quendam Monachum Africæ, habentem ordinem oppoſitum, & Ariſtotelis ſyllogiſmos, & diſſonantem omnino a ſanctis quinque univerſalibus Conciliis, & ſanctis probabilibus Patribus, qui unquam tale aliquid admiſerunt, prævidimus*

mus interruptionem fieri lectionis de hujuſmodi ſermone ad Lucam, & quod extranea ſunt, & aliena ab Eccleſiaſticis dogmatibus, quæ in eo continentur, & ſibi, & veritati omnino contraria.

Quis Almaricos, Abaelardos, Roſcelinos, Porretanos, Dinantios, Berengarios, Mauritioſque genuit, peperit, ſuiſque lactavit uberibus, niſi vetuſtior doctrina Lycei? Simulatque Conſtantinopoli, vel aliunde allata Pariſiis fuerint aliqua Stagiritæ volumina, illico apud illius ævi Philoſophos Animæ mortalitas, Mundi æternitas, Dei Inprovidentia, Unitas Intellectus, aliaque generis hujus ſexcenta reſonare cœperunt; de quo abunde hujus operis parte Secunda docendum relinquitur.

Ad hunc tamen locum ſpectare ut dicam videtur, quod qui Pariſiis Peripati armis inſtructus, & hæc in Averrois, Alexandrique officina exacutiora reddita, orthodoxam Fidem omnium primus, ut quibuſdam viſum, invadere audacter, temereque inſtituit, is Hæreſiarcha quidam Almaricus nomine fuit. Raphael Volaterranus, de Innocentio III.P.M.edifferens,ſub annum MCXCVIII. 115
hæretici hujus, cui *Almericum* dicit nomen, per verba iſta meminiſſe videtur: *Concilium Lateranenſe celebravit. Almericum hæreticum cremari apud Pariſium juſſit.*

Verumenimvero ex eodem Volaterrano, ſi animadvertatur, accipies, alium profecto ab Almarico, Abaelardum nempe, (quem ipſe Bailardum vocat) Eccleſiam regente Lucio II. Salutis anno MCXXVIII. Fidei puritatem vel præcipue maculare aggreſſum. *Hoc tempore* (ſcribit) *Bailardus Philoſophus quidam Gallicus,* 116
ac Peripateticus Pariſiis prodiit, vir doctiſſimus, ab Orthodoxis tamen in quibuſdam aberrans, a quibus nec

per Synodum, juſſu Regis Ludovici hujus gratia coactam avelli potuit, quin in loco deſerto cum ſociis nonnullis omne ævum abſtinendo exegerit. Adverſus diſſeminatos ab Almarico, & Abaelardo errores, perque Galliam univerſam late ſparſos, Galliarum Epiſcopi Chriſtiano zelo flagrantes, anno a Chriſto MCCIX. Senonenſe convocato Concilio, illorum blaſphemias damnarunt non ſolum, ſed & morbum radicitus convellere ſatagentes, Ariſtotelis libros tanquam omnium cauſa malorum, comburendos ab iiſdem juſſum, vetitumque eoſdem legi in futurum. Facti hujus omni, perpetuaque non indigni memoria, hiſtorici Rigordi narratio dilucida habe-
117 tur. *In diebus illis* (ſcilicet anno MCCIX.) *legebantur Pariſiis libelli quidam, ab Ariſtotele, ut dicebatur, compoſiti, qui docebant Metaphyſicam, delati de novo a Coſtantinopoli, & a Græco in Latinum tranſlati. Qui, quoniam non ſolum prædictæ hæreſi* (Almarici) *ſentententiis ſubtilibus occaſionem præbebant, imo & aliis nondum inventis præbere potuerant, juſſi ſunt OMNES COMBURI, & ſub pœna excommunicationis cautum eſt in eodem Concilio, ne quis de cætero eos ſcribere, vel legere præſumeret, vel quocunque modo habere*. Horum prætèrea in Senonenſi Concilio geſtorum, ex Roberto etiam Autiſiodorenſi Monacho, & Cæſario quodam in XI. Conciliorum volumine teſtimonium legitur.

Hiſce ita in Provinciali eo Concilio peractis, Vaticani conſenſus, & Apoſtolica illi acceſſit auctoritas, & ſic iterum, iterumque S.Sedis decreto Ariſtotelis librorum interdicitur lectio. Innocentius nanque III. ſalutis noſtræ anno MCCXV. Paſtorali vigilantia, ad Pariſienſem Academiam a ſuſcepta per Ariſtotelem labe expurgandam, Legatum mittit Cardinalem tituli S. Stephani, qui Apoſtolica auctoritate ſententiam hanc diplomate

mate Pariſiis pronuntiavit. *Non legantur libri Ariſto-* 118
telis de Metaphyſica, & de Naturali Philoſophia, nec
ſummæ de iiſdem, aut de doctrina magiſtri David de
Dinant, aut Almarici hæretici, aut Mauritii Hiſpa-
ni .... Ut autem iſta inviolabiliter obſerventur, o-
mnes, qui contumaciter contra hæc ſtatuta noſtra veni-
re præſumſerint, niſi infra quindecim dies, a die tranſ-
greſſionis, coram Univerſitate magiſtrorum, & ſchola-
rium, vel coram aliquibus ab Univerſitate conſtitutis,
præſumtionem ſuam curaverit emendare, Legationis
qua fungimur auctoritate, vinculo Excommunicationis
innodamus, &c.

Tamen nihilominus etiam poſt hæc, Peripatetica lues per Galliam ſerpere pergebat, & ab hoſte communi ſubornati quamplurimi, aſpernebantur Eccleſiaſticas ſanctiones. Increbreſcentes haſce hæreſes averruncare vel quam maxime ſatagens P. M. Gregorius IX. Literas iſtas paterno amore, Chriſtianaque caritate refertas, ad Pariſienſes Theologiæ Magiſtros anno Domini MCCXXVIII. miſiſſe comperimus.

GREGORIUS, &c. 119

TActi dolore cordis intrinſecus, amaritudine repleti ſumus abſynthii, quod ſicut noſtris eſt auribus intimatum, quidam apud vos ſpiritu vanitatis, ut uter diſtenti, poſitos a Patribus terminos, profana transferre ſatagunt novitate Cœleſtis paginæ intellectum, ſanctorum Patrum ſtudiis, certis expoſitionum terminis limitatæ, quas tranſgredi, non ſolum eſt temerarium, ſed profanum, ad doctrinam Philoſophicam naturalium inclinando, ad oſtentationem ſcientiæ, non profectum aliquem auditorum, ut ſic videantur non Theodidacti, ſeu Theologi, ſed potius Theophati. Cum enim Theo-

lo-

Digitized by Google

logiam ſecundũ approbatas traditiones Sanctorum exponere debeant,& non carnalibus armis,ſed Dei potentibus deſtruere omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & captivum in obſequium Chriſti omnem reducere intellectum; ipſi doctrinis variis & peregrinis abducti, redigunt caput in caudam,& ancillæ cogunt famulari Reginam, videlicet documentis terrenis,Cœleſte, quod eſt Gratiæ,tribuendo Naturæ.Profecto ſcientiæ naturalium plus debito inſiſtentes, ad infirma, & egena elementa mundi, quibus, dum eſſent parvuli, ſervierunt, reverſi, & eis denuo ſervientes, tanquam imbecilles in Chriſto, lacte, non ſolido cibo veſcuntur, & videntur cor nequaquam gratia ſtabiliſſe. Propter quod ſpoliati gratuitis, & in ſuis naturalibus vulnerati, ad memoriam non reducunt illud Apoſtoli, quod ipſos legiſſe credimus jam frequenter: *Prophanas vocum novitates, & falſi nominis ſcientiæ oppoſitiones devita, quam quidam appetentes exciderunt a Fide*. O improvidi, & tardi corde in omnibus, quæ divinæ gratiæ aſſertores, Prophetæ videlicet, Evangeliſtæ, ac Apoſtoli ſunt locuti, cum Natura per ſe quicquam ad ſalutem non poſſit, niſi gratia ſit adjuta. Dicant præſumptores hujuſmodi, qui doctrinam naturalem amplexantes, verborum folia, & non fructus auditoribus ſuis apponunt, quorum mentes quaſi ſiliquis paſtæ, vacuæ remanent, & inanes, & eorum anima non poteſt in craſſitudine delectari, eo quod ſitibunda, & arida, aquis Siloë currentibus cum ſilentio non potatur, ſed eis potius, quæ de torrentibus philoſophicis hauriuntur, de quibus dicitur: *quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ*, quia ſatietatem non afferunt, ſed anxietatem potius, & laborem. Nonne dum ad ſenſum doctrinæ Philoſophorum ignorantium Deum, ſacra eloquia divinitus inſpirata, extortis expoſitionibus, imo diſtor-

diſtortis, inflectunt, juxta Dagon Arcam fœderis collocant, & adorandam in templo Domini ſtatuunt imaginem Antiochi? & dum Fidem conantur, plus debito, ratione aſtruere naturali, nonne illam reddunt quodammodo inutilem, & inanem? *quoniam Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*. Credit denique intellecta Natura, ſed Fides ex ſui virtute gratuita intelligentia, credita comprehendit, quæ audax, & improba penetrat, quò naturalis nequit attingere intellectus. Dicant hujuſmodi Naturalium ſectatores, ante quorum oculos Gratia videtur proſcripta, quod Verbum quod erat in principio apud Deum, factum eſt caro, & habitavit in nobis; eſtne Gratiæ, an Naturæ? Abſit de cætero, quod pulcherrima mulierum, a præſumtoribus ſtibio peruncta, oculos coloribus adulterinis fucetur, & quæ a ſuo ſponſo circumamicta varietatibus, & ornata monilibus, ſplendida procedit ut Regina, confutis Philoſophorum ſemicinctiis, veſte ſordida induatur. Abſit ut boves fœdæ, ac confectæ macie, quæ nullum dant ſaturitatis veſtigium, ſpecioſas devorent, craſſaſque conſumant. Ne igitur hujuſmodi dogma temerarium, & perverſum, ut cancer ſerpat, & inficiat plurimos, oporteatque filios perditos plorare Rachelem; præſentium vobis authoritate mandamus, & ſtricte præcipimus, quatenus prædicta veſania penitus abdicata, ſine fermento mundanæ ſcientiæ doceatis Theologicam puritatem, non adulterantes verbum Dei Philoſophorum figmentis, *ne circa altare Dei videamini* LUCUM *velle, contra præceptum divinum, plantare*, & mellis commiſtione ſacrificium fermentare doctrinæ, in ſinceritatis, & veritatis azymis exhibendum. Sed contenti terminis a Patribus inſtitutis, mentes auditorum veſtrorum fructu Cœleſtis eloquii ſaginetis, ut foliis verborum ſemo-

ſemotis, limpidas aquas, & puras, tendentes ad hoc principaliter, ut vel Fidem aſtruant, vel mores informent, hauriant de fontibus Salvatoris, quibus refecti, interna craſſitudine delectentur. *Ita ſanctus Pontifex*.

Hic nota, Lyceum, in quo Ariſtotelem docuiſſe volunt Peripatetici, LUCUM fuiſſe Apollini Lycio dicatum, de quo nos quinto Paragrapho diximus.

Quumque id efficax Pontificis ſtudium non ſatis fuerit viſum ad infringendos hæreticorum auſus, ipſe denuo Ariſtotelis operum in Senonenſi Concilio jam damnatorum lectionem interdicit, hæc anno MCCXXXI. e Vaticano inter cætera pronuntians.

GREGORIUS, &c.

A*D hæc jubemus, ut magiſtri Artium unam lectionem de Priſciano, & unam poſt aliam ordinarie ſemper legant, & libris illis Naturalibus*, (Ariſtotelis nempe) *qui in Concilio provinciali* (Senonenſi) *ex certa ſcientia fuere prohibiti Pariſiis, non utantur, quouſque examinati fuerint, & ab omni errorum ſuſpicione purgati. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum*. Quantum vero a Gregorio IX. Clemente IV. Galliarumque Epiſcopis ad explodendos per Ariſtotelem invectos errores deinde inſudatum, ut non loci hujus, narrare ſuperſedeo.

Verum ſi oculos, animumque ad recentiores convertamus Hæreſiarchas, inveniemus equidem, hos imprimis eodem uſos fuiſſe patrono. Primordia Lutheranæ hæreſis, Ariſtotelica fuere ſophiſmata: Sic refert Vilhelmus Lindanus Ruremundanenſis Epiſcopus, in ea quam
120 ſcripſit Lutheri vita. *Novas enim* (ait) *variaſque per*

illud

Digitized by Google

illud tempus quæſtiones , non tam ingenii confidentia , aut doctrinæ præſtantia , quam contentionis ſtudio , rixandique libidine jam annos aliquot in Ariſtotele , & in illius ætatis ſophiſmatibus, haud infeliciter exercitatus (Lutherus) *ſpargere aggrediebatur* .....

De Lutheri vicario , ſive inſaniarum ejus hærede Philippo, inquam, Melanchthone , non eſt quin in præſentiarum denuo, iterūque meminerim; abunde profecto ſatis alio docuimus loco , quam illi in viſceribus hæſerit doctrina Lycei, ut etiam deſperet, quenquam, niſi adjuvante Ariſtotele , veram Sapientiam aſſecuturum . Imo & quod viderit antiquiores Eccleſiæ Patres , Stagirita omnino rejecto, Platonem potius in aliquibus collaudaſſe , perverſe , nequiterque dicere audet: *Additum eſt e Platonis Philoſophia vocabulum* Rationis *æque perni-* 121
cioſum . Nam perinde atque his poſterioribus Eccleſiæ temporibus Ariſtotelem pro Chriſto ſumus amplexi , ita ſtatim poſt Eccleſiæ auſpicia , per Platonicam Philoſophiam Chriſtiana doctrina labefactata eſt . Quid moror pluribus , præcipueque in iis , quæ omnem reiiciunt dubitationem ? Tantum addam , Ultrajectana in Academia illa, quam recte Lutheri inſanientis Seminarium dixeris , Lege ſancitum , ut una , ſolaque Ariſtotelis Phi- 122
loſophia in ea utantur illius magiſtri .

Quum me diutule abs Laertio diſtraxerim , tempus jam eſt ad illum revertendi . Huc neceſſario divertendum erat , non ut in aliorum choro pedem poſuerim , ſed tantum ad oſtendendum , non ob Hymnum in Hermeam eunuchum , ſed propter ejus ſceleſta dogmata , Ethnicis ipſis quoque inſenſiſſima , accuſatum apud Athenienſium judices fuiſſe Ariſtotelem , quæ maxima etiam damna Chriſtiano deinde Orbi invexere .

Poſtea vero quam damnationem veritus,Chalcidem,

Digitized by Google

profugus, petierit Stagirita, a brevi inibi eum interiiſ-
ſe dicitur; ſed quonam revera mortis genere, incertum
id facit tradentium diſcrepantia. Laertius noſter, Eu-
meli in hoc ſequutus ſententiam, in qua & Suidas venit,
aconito illum voluntarie epoto, necem ſibi paraviſſe
affirmat. Apollodorus, eundem morbo extinctum facit.
Divi Juſtinus Martyr, Gregoriuſque Nazianzenus vo-
lunt, quod Euripi Chalcidici reciprocos motus rationem
invenire nequiens Philoſophus iſte, animi mœrore fato
ſit functus. *Cum neque Euripi Chalcidici* (ſunt Martyris
123 Juſtini ſenſa) *naturam cognoſcere poſſet, propter ingens
probrum, & pudorem, in mœrorem conjectus, morte
124 vitam commutavit*. Alter vero hæc habet: *Laudas inſu-
per in Homero diſcendi amorem circa Academicam quæ-
ſtionem, & in Ariſtotele Philoſophiam, & diutinam
moram ad reciprocos Euripi æſtus, quibus uterque oc-
cubuit*.

125 Joannis Vallenſis narratio eſt, Stagiritam quum ob
eam ignorantiæ, mœroriſque cauſam, ſe in Euripi flu-
ctibus conjeciſſet, hæc protuliſſe verba: *Quandoqui-
dem ego te comprehendere nequeo, comprehende tu me*. A
Patricio tamen eo nomine Vallenſis rejicitur, utpote
qui talia aſſeruerit, quæ nullis ſuffulta antiquorum in-
veniantur ſuffragiis. Verumenimvero tam vilis hæc, tam-
que abjecta non eſt Vallenſis ſententia, ut Græciæ non
appareat e gremio exorta, in ſinuque Grajorum non edu-
cata: bona me venia Patricius audiat. Pater quippe
126 Nonnus refert, quod Euripi naturam cognoſcere ſatagens
Stagirita, illam quum nequiſſet percipere, *in hanc
maris partem ſe præcipitem dedit, atque interiit, his
verbis utens*: *Quoniam Ariſtoteles Euripum minime
cepit, Ariſtotelem Euripus habeat*: ἐπιδὴ Ἀριστοτέλης
οὐχ εἷλε τὸν εὔριπον, εὔριπος ἐχέτω τὸν Ἀριστοτέλην.

Num

Num præclarus hic finis vitæ philoſophicæ? ſciſci- 127
tatur Mirandulæ Comes. Sane, ſubdit, finis, ut videtur principio reſpondens: nam ſi Dæmonis inſtinctu ſe peremit, & habuit hujus vitæ finem; certe & juſſu Dæmonis habuit initium vitæ phyſicæ, ut ei commodiſſime illud Aeoli poſſit aptari: *κακῆς ἀρχῆς γίνεται τέλος κακὸν*, ideſt, *mali principii finis malus*. Cognoſcant, inquam, quem colunt, ut memores ſint Apoſtolici præcepti, & caveant ne per inanem Philoſophiam decipiantur. Hactenus Picus; & junior Poeta:

Æſtus Euripi dum non capit, inſilit illuc,
Et perit; haud aliter debuit iſte mori.

Ecce jam tandem mortuus eſt Ariſtoteles, & non inventus, qui Sepulturæ honorem illi, cæremoniaſque tribueret ſepulcrales, nec qui Nænias, de more, accineret ei, niſi quidam diſcipuli fortaſſe morienti aſtantes magiſtro, cui vix extincto, multis cum lacrymis, hæc iſtos
dixiſſe perhibent aliqui de Peripato: *Qui Philoſopho-* 128
rum animas excipit, & tuam colligat in ſuis reconditis theſauris, uti animam addecet recti hominis, & perfecti, qualem te novimus.

Equidem in his riſum tenere nequeo; nec etiam poſſum quin non exclamem: O infelicem Ariſtotelem, o ingratum Peripati animum. Et vos ejus contubernales, auditoreſque, cur in perpetuam veſtri Coryphæi laudem non erexiſtis Sepulcrum, marmora non incidiſtis? Ipſe totus erga proprium magiſtrum Platonem amor effectus, eidem (ut dicitis) conſtruxit Altare, non ſine inſcriptionis ornatu magnifico: vos vero crudeliter ingrati, illum abſque Monumento, ſine Epitaphio reliquiſtis. Pro inverecundiam; pro nefarium facinus poſt hominum memoriam maximum.

Sic a ſuis injurioſe deſpectus Ariſtoteles, miſeratio-

nem tetigit Cornelii Agrippæ, cui hanc in illum para-
129 te viſum ſepulchralem inſcriptionem, quod firmum eſſet ingenii Stagiritæ indicium ad memoriam ſempiternam.

HIC EST ILLE ARISTOTELES,
QUI DE ANIMA MALE SENTIENS;
LOCUM GAUDII
POST MORTEM NEGAVIT;
QUI VETERUM DICTA COMPILATUS,
MALIGNEQUE INTERPRETATUS,
INGENII LAUDEM FURTO,
AC CALUMNIA QUÆSIVIT.

Calendis vero Maii fuit e Parnaſſo nuntiatum, id Agrippæ qualecunque officium, a Lyceo in contumeliam acceptum. Convocatis propterea per Stagiritam quotquot inibi incolere Peripati filiis datum, ii conſilium iniere de illata injuria certiorem faciendi Apollinem. Ita profecto agitur, parataque occaſione, ad Regis genua obvoluti omnes, (tacente propter balbutiem Ariſtotele) in hunc eſt ſenſum effatus Apollinem Theophraſtus. Regum juſtiſſime, qui æqua lance præmia, & pœnas pro meritis cuique largiris, credo, non dubito, Te, cui penitus latet nihil, jam noviſſe, Philoſophorum facile principem, Coryphæumque noſtrum Ariſtotelem, & cum eo nos una auditores, ſectatoreſque ſuos, a dicace illo ſcientiarum hoſte Cornelio Agrippa, per calumniam, magno laceſſitos convitio. Is porro caritate fucata, ſimulatoque in illum amore, Monumentum eidem verbo tenus,& ore paraturus pollicebatur; at quid?

facto

Digitized by Google

facto nil, niſi contumeliam fecit, mendacia commentus eſt. Tumulo ei nullo revera excitato honorario, tantum inſcriptione futili, calumniiſque referta contentus, Philoſophum impietatis crimine taxat, & tanquam in antiquos injurioſum condemnat. At quis, sereniſſime planetarum Rex, quis inquam, Philoſophorum omnium doctior? quis acutior? quis in rebus vel inveniendis, vel judicandis acrior Ariſtotele? Oramus quamobrem, omnibuſque Majeſtatem tuam obſecramus precibus, ut injuriis jactatam, ac tanti viri agitatam gloriam vindicare velis; & ſinas, qua in doctos benevolentia polles, licere nobis, pro dignitate, honorarium ei Tumulum ſtatuere, ad os opprimendum obtrectatoribus noſtris, & ne deinceps in Peripati diſcipulos jure Sophoclis illud cadere videatur:

Φεῦ, τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖα τοῖς βροτοῖς
Χάρις διαῤῥεῖ, καὶ προδοῦσ' ἁλίσκεται.

Quumque ſermoni finem feciſſet ſuo Theophraſtus, ſic ei reſpondiſſe dicitur Apollinem:

Ἀνθρώπων δὲ μαίνονται φρένες,
Δαπάνας ὅταν θανοῦσι πέμπωσι κενάς. 130

Attamen ego, Theophraſte, iſtuc videro: ſi enim fieri fas erit, dignum pro meritis Stagiritæ excitabitur Monumentum, quo illius ſapientiæ, ingeniique memoriam diutiſſime poſteritas habeat. Poſt hæc, curvo curſu ſuo contendere pergit Phœbus.

Nuperrime vero relatum, in Parnaſſo increbuiſſe rumorem, ab Apolline juſſum, ut in porticibus ſcholæ Ariſtotelis, quam Stagire is habuit, ad Sardanapalei nobilis Sepulcri normam, modulumque honorarius ei Tumulus excitaretur. Quod ſi ita, in illud, ſcias, præter cætera architectonices exquiſita ornamenta, conſpici Simulacrum (quod fertur) ita ſtructum, ut manibus ſupra 131 132

pra caput elatis concrepet digitis, hac Aſſyriis literis inſcriptione ſuppoſita :

HOSPES
EDE BIBE LUDE
NAM
CÆTERA SUNT NIHIL.

Plenum revera ſapientiæ conſilium, & æquo Apolline dignum ! Quid aptius magis, magiſque appoſitum
133 excogitari, dici, aut fieri potuit in docentem : *Omnium autem rerum nihil horribilius Morte eſt, nam omnium rerum eſt extremum ; nihilque reliquum eſſe mortuo videtur, neque bonum, neque malum.* Φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος· πέρας γὰρ, καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι, οὔτε ἀγαθὸν, οὔτε κακὸν εἶναι.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX.

Quo explicantur Auctorum loci in ora exteriore libri Arabicis numeris ſignati.

§. I.

1 *Suidas in verbo* Nicomachus.
2 *Seneca Epiſtola* 44.
3 *Laertius Diogenes in Socratis vita*.
4 *Suidas in verbo* Aſclepiadæ.
5 *Ammonius in Ariſtotelis vita*.
6 *Laertius in Ariſtotelis vita*.
7 *Ammonius in Ariſtotelis vita*.
8 *Suidas in verbo* Ariſtoteles.
9 *Laertius in Ariſtotelis Teſtamento*.
10 *Sextus Empyricus adverſus Mathematicos*.
11 *Laertius in Ariſtotelis vita*.
12 *Ariſtocles Peripateticus apud Euſebium lib. 15. de præparat. Evangel.*
13 *Aulus Gellius, Noctium Atticarum lib. 17. cap. 21.*
14 *Plutarchus in Camillo*.
15 *Plutarchus in Alexandro, & Plinius lib. 7. cap. 9. Natur. Hiſt.*
16 *Cic. 2. de Orat., & in Bruto*.
17 *Apud Euſebium lib. 15. de præparat. Evangel. cap. 1.*
18 *Laertius in Ariſtotel. vita*.
19 *Pereira Jeſuita lib. 5. cap. 1. de communib. rer. natural. principiis, & affectionib.*

20 Laer-

20 *Laertius in vita Protagoræ.*
21 *Geſnerus in Bibliotheca.*
22 *Cicero* 2.*Tuſculan.*
23 *Deuteronomii cap.*32. *verſ.*17.
24 *Pſalmo* 95. *verſ.*5.
25 *Pſalmo* 105. *verſ.*37.
26 *Euſebius in Chronic.*
27 *Lactantius Firmianus lib. de Ira Dei, cap.*23.
28 *D.Auguſtinus lib.*9. *de Civitate Dei, cap.*19.
29 *Beſſarion Cardinalis in Calumniatorem Platonis, lib.* 1. *cap.* 3.
30 *Cælius Rhodiginus lib.*2.*cap.*2.*Antiquarum Lectionum.*
31 *Joannes Saresberienſis lib.*7.*de Nugis curialium, cap.*6.
32 *Ammonius in Ariſtotelis vita.*
33 *D.Auguſtinus lib.*8. *de Civitate Dei, cap.*22.
34 *Tertullianus de teſtimonio animæ cap.*3.*, apud Jo: Lorinum in Pſal.*90.*verſ.*6.
35 *D.Baſilius lib.*1. *contra Eunomium.*
36 *Laertius in vita Epicuri.*
37 *Cicero lib.*2. *de Finibus.*
38 *Ariſtoteles Ethicor. Nicomach. lib.*4. *cap.*1.
39 *Cicero ad Atticum* 6.
40 *Eraſmus in Chiliad.*
41 *Atticus Platonicus ap. Euſeb. lib.* 15. *de præpar. Evangel. cap.*4.
42 *Athenæus lib.*8. *Deipnoſoph.*
43 *Cephiſodorus ap. Euſeb. lib.*15. *de præpar. Evang. cap.*2.
44 *Suidas in verbo* Ariſtoteles.
45 *Euſebius Cæſarienſis Epiſcop. lib.*15. *de præparat. Evangel. cap.*1.
46 *Ægidius Menagius, Notis in Laertium.*

§. II.

1 *APollodorus apud Laertium in Ariſtotelis vita.*
2 *Eumelus apud Laertium in Ariſtotelis vita.*
3 *Euſebius in Chronicis.*
4 *Ammonius in Ariſtotelis vita.*
5 *Suidas in verbo* Ariſtoteles.
6 *Laertius in vitis eorundem Socratis, & Ariſtotelis.*
7 *D.Thomas* 4. *de regimine Principum cap.* 4. *& Alexander de Ales in VII. Metaphiſ. tex.*28. *&* 52.
8 *Caſaubonus in Athenæum.*
9 *Aelianus lib.*3. *de Varia hiſtoria cap.*19.
10 *Simplicius in Comment. tex.*6. *lib.*1.*de Cœlo.*
11 *Caſaubonus in ſua verſione vitæ Ariſtotelis a Laertio ſcriptæ.*
12 *S.Theodoretus lib.*11. *adverſus infideles, cui titulus eſt, de Fine, & Judicio.*
13 *Aelianus lib.*5. *de Varia hiſtoria cap.*9.
14 *Athenæus Deipnoſoph. lib.*8.
15 *Euſebius lib.*15.*de præparat.Evangel. cap.*1.
16 *Plutarchus eo Commentario, quo quærit*: Cur nunc Pythia non reddat Oracula carmine?
17 *Plutarchus eo libro, cui titulus*: Cur Oracula edi deſierint?
18 *D.Clemens Alexandrinus lib.*1. *Stromatum.*
19 *D Paulus* 2. *ad Colloſſenſes.*
20 *Cardinalis Cajetanus in expoſitione hujus loci D.Pauli.*
21 *Vide Ciceron. lib.*1. *de Nat.Deor., & lib.*5.*de Finib.*
22 *Jacobus Tirinus Tom.*16. *Bibliothecæ Maximæ.*
23 *S.Clemens Alexandrinus Stromatum lib.*1.
24 *Plutarchus Opuſculo inſcripto*: Quomodo adoleſcentes audire Poetas debent.
25 *Scaliger lib.*1. *cap.*14. *de cauſis L.L.*

26 *Cælius Rhodiginus lib.*13.*cap.*1.*Lectionum antiquarum.*
27 *Cicero* 1.*de Oratore.*
28 *Famianus Strada, Proluſion. academic. Proluſ.*3.
29 *Aelianus lib.*3. *de Varia hiſtoria cap.*19.
30 *D.Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus,& Eccleſiæ doctor, Originum lib.*19. *cap.*32.
31 *Idem S.Iſidor. ibidem.*
32 *Seneca de brevitate vitæ cap.*12.
33 *Vide Adag. Hadriani Junii.* Nemo comatus qui non præciditur.

§. III.

1 *Ariſtoteles lib.*7. *Politic., cap.*16.
2 *S.Theodoretus lib.*12. *de Vita activa.*
3 *Athenæus Deipnoſoph. lib.*13.
4 *Franciſcus Patricius, Diſcuſſ. Tom.*1. *lib.*1.
5 *Jo:Franc.Picus Mirandul. lib.*6. *cap.*19. *Examin. doctrinæ vanit. Gentium.*
6 *Ariſtoteles lib.*7. *Politic. cap.*17.
7 *Laertius in vita Theophraſti.*
8 *Ariſtoteles lib.*2. *Politic. cap.*8.
9 *Franciſcus Petrarcha lib.*2. *Invectivarum.*
10 *Ex Cornelio Agrippa, de Vanitate ſcientiarum, cap.*54. *& Balæo cent.*14. *in append.ad Joan. Major. apud Pape Blount, in Cenſura celebrior. auctor.*
11 *Eraſmus in Adag.* Craſſo; Crœſo ditior.
12 *Rhodignus lib.*17. *cap.*34.*Lection.antiq.*
13 *Ariſtoteles Problematum ſectione* 30. *Quæſt.*1.
14 *Plato in Phædro; & Memnone.*
15 *Cicero libro* 1.*de Divinatione.*
16 *Cicero* 3. *Tuſculanar.*
17 *Ariſtoteles* 2. *Metaphyſices cap.*1.
18 *D.Antoninus Tom.*4. *Sum.tit.*11.*cap.*4. §.2., & 3.

19 *Mel-*

19 *Melchior Canus lib. 9. de Locis Theolog. cap. 9.*
20 *Jo: Franc. Picus Mirandul. lib. 4. Exam. doctr. vanit. Gent. in Proëmio.*
21 *Cornelius a Lapide in Encomio ſapientiæ, ſcilicet initio Commentar. in Eccleſiaſtic.*
22 *Nicolaus Cabeus, Comment. in lib. 1. Meteorolog. Ariſt. tex. 72. quæſt. 1.*
23 *Salmeron Tom. 16. diſput. 4. cap. 3. poſt Epiſt. D. Petri, de Mundi interitu.*
24 *Petrus Gaſſendus, Exercit. Paradoxic. lib. 1. Exercit. 2.*
25 *Petrus Gaſſendus lib. 1. Exercitat. Paradox. Exercit. 1.*
26 *Vide Poſſevinum in Bibliotheca ſelecta.*
27 *Philippus Camerarius, Centur. 1. operum ſubciſivar.*
28 *Lactantius Firmianus, Libro de Ira Dei.*
29 *Ariſtoteles libro de Virtutibus, tit. de Incontinentia.*
30 *Laertius in Teſtamento Ariſtotelis.*
31 *Vide §. VIII. ſequentem, ubi plura de Ariſtotelis Deo.*
32 *Ariſtoteles lib. 4. Topicor. cap. 5.*
33 *Ariſtoteles lib. 7. Moral. Nicomach. cap. 1. Vide §. VIII.*
34 *S. Clemens Alexandrinus in Admonit. ad Gentes.*
35 *Thomas Campanella de Gentiliſmo non retinendo.*
36 *P. Petrus Ribadaneira. in S. Ignatii vita lib. 5. cap. 10.*
37 *D. Auguſtinus in Pſalmis, ap. Jo: Franc. Picum Mirandul. lib. 4. cap. 7. Exam. doctr. vanit. Gentium.*
38 *D. Auguſtinus Retractationum lib. 1. cap. 1. & 3.*
39 *D. Antoninus in Summa, 4. par. tit. 11. cap. 4. §. 2.*

§. IV.

1 *CÆlius Rhodiginus lib. 17. cap. 34. Lection. antiq.*
2 *Aelianus lib. 3. Var. Hiſt. cap. 19.*
3 *Idem Aelianus eod. loco, interprete juſto Vultejo.*
4 *Ariſtoteles lib. 1. Ethic. Nicomacheor. cap. 2. Edit. Aureliæ ann. 1605.*

5 *Ammonius in Ariſtotelis vita.*
6 *Theodoretus lib.5. de Natura hominis.*
7 *D.Cyrillus lib.4. contra Julianum.*
8 *Aelianus lib. 4. Variæ Hiſtoriæ cap. 9. Juſto Vultejo interprete.*
9 *Euſebius lib.15. de præparat.Evangel. cap.1.*
10 *Ariſtocles Peripateticus apud Euſebium lib. 15. de præparat.Evangel. cap.1.*
11 *Aelianus lib.5. Var.Hiſtor. cap.12.*
12 *Marſilius Ficinus in Platonis Vita.*
13 *S.Iſidorus lib.15. Originum cap.4.*
14 *Petrus Crinitus in Parthenicis.*
15 *Idem Crinitus lib.10.de honeſta diſciplina, cap.3.*
16 *Ariſtoteles lib.2. de Generat. & Corrupt. cap.1.*
17 *Plato in Timæo.*
18 *Plato in Timæo.*
19 *Plato in Timæo.*
20 *Ammonius in Ariſtotelis vita.*
21 *Ariſtoteles lib.1. Phyſic. cap.7.*
22 *D.Thomas lib.4. Opuſculor. Opuſculo 20. cap.4.*
23 *Ariſtoteles lib.1. de Generat.& Corrupt.cap.2.*
24 *Plato in Timæo.*
25 *Ariſtotel.lib.3.de Hiſt.Animal. cap.16.*
26 *Plato in Timæo.*
27 *Ariſtoteles lib.2. de Generat. animal. cap.4.*
28 *Plato in Timæo.*
29 *Ariſtotel. lib.1. de Generat.& Corrup.cap.4.*
30 *Plato in Phædone.*
31 *Ariſtoteles lib.4. Phyſicor. cap.2.*
32 *Philoponus in expoſitione hujus loci Ariſtotelis.*
33 *D.Thomas lib.4. de regimine Principum cap.4.*
34 *D.Auguſtinus de Civitate Dei.*
35 *Philoponus contra Procli rationem IX. cap.4.*

36 *Ariſtoteles lib.2. Meterolog. cap.2.*
37 *Ariſtoteles lib. quoq.2. Meteorolog. cap.2.*
38 *Nicolaus Cabeus, Comment.tex.13., & 14. lib.2.Meteorolog. Ariſtotelis, & ibidem, Quæſt.unica.*
39 *D.Thomas 3. Metaphyſic. lectio.11. particula 5. tex.15.*
40 *Ammonius in Ariſtotel. vita.*
41 *Verulamius de Augment. Scientiar. lib.3. cap.4.*
42 *Atticus Platonicus apud Euſebium lib.15. de præparat. Evangel. cap.4.*
43 *Verulamius lib.3. de Augment. ſcientiar. cap.4.*
44 *Marcus Antonius Majoragius lib.1. in Ariſtotelis Rhetoric. cap.10.*
45 *Raderus in Q. Curtium.*
46 *Aulus Gellius lib.3. cap.17. Noct. Attic.*
47 *Laurentius Valla, Præfat. in Dialecticam.*
48 *Guillelmus Poſtellus lib.1.de Orbe concionatorio, cap.2.*
49 *Julius Alexandrinus lib.4. de Medico.*
50 *Andreas Laurentius lib.8. Anatom.quæſt.30.*
51 *Galenus lib.2. de Naturalib.facultat. cap.4.*
52 *Audomarus Talæus, Comment. lib.1. Ethic. Ariſt.*
53 *Atticus Platonicus apud Euſeb. lib.15. de præparat. Evangel. cap.13.*
54 *Ariſtoteles lib.1. Metaphyſic. cap.7.*
55 *Ariſtoteles lib.1. Analytic. poſter. cap.18.*
56 *Philoponus in explanati. ejuſd. Ariſtotel. loci.*
57 *Alexander de Ales, comment. in 7. Metaphy. tex.52.*
58 *D.Bonaventura Sermone 6. in Exameronem.*
59 *Vide noſtrum §. VIII.*
60 *Petrus Cellenſis in miſta, & morali expoſitione Moſaici Teſtamenti. Et Gregorius IX. P.M. in Paſtorali Epiſtola ad Pariſienſes Theologos miſſa anno 1228. quam vide in fine §.VIII.*
61 *Thomas Campanella, de Gentiliſmo non retinendo.*

62 *S.An-*

62 *S. Antoninus Florentiæ Antiſtes, in Summa.*
63 *Lodovicus Vivis, lib.*6. *de tradendis Artibus.*
64 *Marc. Ant. Majoragius lib.*1. *Rhethor. Ariſt. cap.*10.
65 *Plato in Phædro.*
66 *Ariſtoteles* 1. *Phyſic. cap.*5.
67 *Plato in Timæo.*
68 *Ariſtotel. lib.*1. *Phyſic. cap.*8.
69 *Ariſtoteles lib.*1. *de Generat. & Corrup. cap.*3.
70 *Plato in Gorgia.*
71 *Ariſtoteles lib.*9. *Metaphyſic. cap.*10.
72 *Plato in Phædone.*
73 *Ariſtotel. lib.*4. *Metaphyſic. cap.*2.
74 *Ariſtotel. lib.*1. *de Cœlo, cap.*3.
75 *Plato in Sophiſta.*
76 *Ariſtotel. lib.*10. *Metaphyſic. cap.*8.
77 *Ariſtotel. lib.*1. *de Cœlo, cap.*2.
78 *Plato in Phædone.*
79 *Ariſtotel. Sect.*30. *Problemat. Quæſt.*3.
80 *Plato in Sophiſta.*
81 *Plato lib.*10. *Legum, & alibi.*
82 *Ariſtotel. lib.*1. *de Cœlo, cap.*2.
83 *Plato in Parmenide.*
84 *Ariſtotel. lib.*4. *Phyſic. cap.*2.
85 *Plato in Timæo.*
86 *Ariſtotel. lib.*4. *Phyſic. cap.*4.
87 *Plato in Timæo.*
88 *Ariſtotel. lib.*4. *Phyſic. cap.*1.
89 *Ariſtotel. lib.*2. *de Cœlo, cap.*2.
90 *Plato in Timæo.*
91 *Plato in Timæo.*
92 *Ariſtoles lib.*1. *de Cœlo, cap.*8.
93 *Plato in Timæo.*
94 *Ariſtotel. lib.*2. *de Cœlo, cap.*4.

Digitized by Google

95 *Plato in Timæo.*
96 *Ariſtotel. lib.2. de Cœlo, cap.1.*
97 *Plato in Timæo.*
98 *Ariſtotel. lib.4. Meteoror. cap.4.*
96 *Plato Dialogo* 1. de Republica.
100 *Ariſtotel. lib.3. Politicor. cap.4.*
101 *Plato Dialogo illo, cui titulus*, Vir civilis; *ſive de Regno.*
102 *Ariſtotel. lib.3. Politicor. cap.5.*
103 *Plato eodem Dialogo de Regno.*
104 *Ariſtotel. lib.3. Politicor. cap.7.*
105 *Plato lib.5. de Legibus.*
106 *Ariſtoteles lib.7. Politicor. cap.4.*
107 *Plato lib.1. de Legibus.*
108 *Ariſtoteles lib.7. Politicor. cap.17.*
109 *Plato lib.3. de Republica.*
110 *Ariſtoteles lib.7. Politicor. cap.17.*
111 *Plato in Timæo.*
112 *Ariſtotel. lib.1. Metaphyſic. cap.1.*
113 *Plato in Theæteto.*
114 *Ariſtoteles lib.1. Metaphyſic. cap.2.*
115 *Plato in Theæteto.*
116 *Ariſtotel. lib. de Memoria, & Reminiſcentia.*
117 *Plato 8. de Republica.*
118 *Ariſtotel. lib.1. de Cœlo, cap.12.*
119 *Plato in Euthyphrone.*
120 *Ariſtotel. lib.2. Rhetoric. cap.6.*
121 *Plato in Lachete.*
122 *Ariſtotel. lib.2. Rhetoric. cap.5.*
123 *Plato in Timæo.*
124 *Ariſtotel. lib.2. de Cœlo, cap.8.*

§.V.

Digitized by Google

§. V.

1 Laertius in Vita Xenocratis.
2 Laertius in ejuſd. Xenocratis Vita.
3 Vide §. III.
4 Laertius in Xenocratis Vita.
5 Cicero pro Flacco.
6 Cicero Academicar. Quæſt. lib.2. ædit.1.
7 Laertius in Xenocratis Vita.
8 Lucianus in Anacharſi.
9 Cicero 2. de Oratore.
10 Suidas in verbo Gymnaſia.
11 Pauſanias in Atticis.
12 Lodovicus Vivis in cap.12. lib.8. de Civitate Dei.
13 Vitruvius lib.5. cap.2.
14 Lucianus in Anacharſi.
15 Cicero 2. de Legibus.
16 Lucianus Dialogo Virtus Dea.
17 Suidas in verbo Λύκειον.
18 Pauſanias in Atticis.
19 Ovidius 12. Metamorph. & Vitruvius lib.5. cap.2.
20 T. Livius lib.31.
21 Plutarchus in vita decem Rhetorum.
22 Cicero Academicar. Quæſt.1.
23 Ægidius Menagius not. in Laer. Joan. Jonſonius in Diſſertatione de Philoſoph. Peripat. Henric. Stephan. Not. ad Hæſych.
24 Ammonius in Prolegom. Categoriar.
25 Cicero Academic. Quæſt. lib.1.
26 Cicero de Oratore.
27 D. Clemens Alexandrinus lib.1. Stromat.
28 Franciſcus Patrici. Diſcuſ. T.1. lib.10.
29 Cælius Rhodigin. Antiq. Lectio. lib.21. cap.10.

Digitized by Google

30 *Athenæus lib.12. in fin.*
31 *Cicero 2.de Oratore.*
32 *Hieronym. Mercurial. lib.1. de Arte Gymnaſt. cap.8.*
33 *Vide Aegydium Menagium, & Joannem Jonſonium.*
34 *Suidas in verbo* Socrates.
35 *Thomas Aldobrandin. Annot.in Ariſt.Vita n.7.*
36 *Cicero de Oratore.*
37 *Dionyſius Halicarnaſſ. in Iſocrat.*
38 *Athenæus Deipnoſoph. lib.2.*
39 *Cicero de Oratore ad M. Brutum.*
40 *Cicero 1. de Officiis.*
41 *Seneca lib.6. Quæſt. Natur. cap.13.*
42 *Apud Strabonem.*
43 *Cicero lib.1. de Officiis.*
44 *Cicero de Oratore.*
45 *Cicero lib.3. de Finibus.*
46 *Cic.1. de Orato. ad Q. fratrem.*
47 *Cicero 2. de Finib.*
48 *Cicero 1. de Orato. ad Q. fratrem.*
49 *Cicero de Oratore.*
50 *Cicero de Orato.ad Q. fratrem.*
51 *Cicero 2. de Orato.*
52 *Cicero in Lucullo.*
53 *Cicero de Orato.*
54 *Lugduniana editio operum Ariſtotelis Anni* 1579.
55 *Francofurtana editio operum Ariſtotelis Anni* 1538.
56 *Cicero 3. de Oratore.*
57 *Cicero in Partitionib.*
58 *Ariſtoteles lib.3.Rhet.ad Theodecten,c.2.& lib.de Mundo.*
59 *Poſſevinus lib.12. Biblioth. cap.1. tract.3.*
60 *Ludovicus Vivis de Cauſ.corrupt. art. lib.1.*
61 *Franc. Patric. Diſcuſſ. T.3. lib.1.*
62 *Lodovicus Vivis in Cenſura operum Ariſtotel. præfixa*

editioni Lugduni. ann. 1579.
63 Joan.Franc.Picus Mirandul. lib.3. Examin.doctrinæ vanita. Gentium cap.6.
64 Petrus Fonſeca in Proem.Comm. lib.1. Metaphyſic.Ariſt.
65 D.Baſilius Epiſt. 167. ad Diodorum.
66 D.Gregorius Nazian.Or.33.S.Ireneus lib.2.contra Hereſ. c.19.Tertullianus de Anima.D.Hier.ad Helvid.lib.10.
67 Franciſcus Petrarcha lib.2. Rer.memorandar.
68 Lucillus Philalthæus in Epiſtola nuncupatoria ad Herculem Cardinalem Gonzagam, præfixa Commentariis Simplicii in Octo Phyſic. libr. Ariſtotelis, & quos Lucillus ipſe Latio donavit.
69 Ariſtoteles lib.1. Ethic. Nicomach. c.6.edit.Lugdun. ſed Aurelianæ c.4.

§. VI.

1 Vide Laertium, & Suidam.
2 Suidas in verbo Hermias.
3 Apud Strabonem.
4 Tertullia.in Apolog. adver.Gentes.
5 Ariſtocles Peripateticus apud Euſeb. lib. 15. de præpar. Evangel. cap.1.
6 Vide Ariſtotelis vitam a Caſaubono latinitate donatam.
7 Plutarchus de Exulio.
8 S.Epiphanius lib.1. adverſ.Hæreſ.hæreſi 26.
9 Ex Eubulide ap.Euſebium lib.15. de præp.Evang. cap.1.
10 Suidas in verbo Hermias.

§. VII.

1 Aulus Gellius lib.9. cap.3. Noct.Atticar.
2 Eumelus apud Laertium in Ariſtotel.Vita.
3 Apollodorus apud Laertium in Ariſtotel.Vita.
4 Aelianus lib.3. Var.hiſtor. cap.19.
5 Plutarchus in Vita Alexandri.

6 Quin-

INDEX.

6 *Quintilian.Inſtitution.Orator. lib.*1.
7 *D.Hieronymus Epiſtola ad Lætam.*
8 *Plutarch. in Alexandri Vita.*
9 *Plutarchus in Vita Alexandri.*
10 *Aulus Gellius lib.*20. *cap.*4. *Noct. Atticar.*
11 *Alexinus Eriſticus apud Euſebium lib.* 15. *de præparat. Evagel. cap.*1.
12 *Plutarchus in vita Alexandri.*
13 *Plutarchus in vita Alexandri.*
14 *Tertullianus in Apologetico adverſus Gentes.*
15 *Tatianus Aſſyrius in Oratione ad Græcos.*
16 *Lucianus Dialogo Diogenem inter, & Magnum Alexandrum.*
17 P*lutarchus in Vita Alexandri.*
18 *Valerius Maximus lib.*8. *cap.*14.
19 *Plutarchus in Vita Alexandri.*
20 *Plutarchus in Alexandri Vita.*
21 *Laertius in hoc Paragrapho.*
22 *Plutarchus in Vita Alexandri.*
23 *Laertius in Vita Theophraſti.*
24 *Laertius in Vit.Ariſtotel.*
25 *Aulus Gellius lib.*13. *cap.*5.
26 *Laertius in hoc Paragrapho.*
27 *Laertius in hoc Paragrapho.*
28 *Plutarchus in Vita Alexandri.*
29 *Arrianus lib.*7.
30 *Matthæus Raderus in Q.Curtium.*
31 *Plinius Naturalis Hiſtor. lib.*30. *cap.*16.
32 *Pauſanias in Arcadicis.*
33 *Jacobus Dalecãpius in Notis c.*16.*lib.*30.*Nat.Hiſt.Plinii.*
34 *Ælianus lib.*10. *cap.*40. *Hiſtor. Animal.*
35 *Plutarchus in Vita Alexandri.*
36 *Xiphilinus in Caracalla,& Dion Nicæus in Antonino.*

37 *Dexippus apud Photium Codice* 82.
38 *Pauſanias lib.6. qui inſcribitur* Secundus Eliacorum.

§. VIII.

1 *Athenæus lib.15.Deipnoſophiſt.*
2 *Scaliger lib.1.Poëtic.cap.44.*
3 *Laertius in Ariſtotelis Vita.*
4 *Origenes lib.1.contra Celſum.*
5 *Ammonius in Vita Ariſtotelis.*
6 *Ammonius in Vita Ariſtotelis.*
7 *D.Bonaventura in Opuſculis, lib.ſuper Geneſim, Serm.5.*
8 *Xenophon in lib. de Socratis memorabilib.dict.*
9 *Ægidius Columna, in Animadverſ. & Cenſura eorum, quæ Ethnici Philoſophi ſuis ſcriptis inſeruerunt.*
10 *Melchior Canus Prædicat. Ord. Theologus eximi.& Epiſcop. Canarienſ. lib.10. Locor.Theolog. cap.5.*
11 *D.Ambroſius de Officiis.*
12 *Auguſtinus Niphus Sueſſan. in Præf. lib.de Anima.*
13 *Thomas Campanella, de Gentiliſmo non retinendo.*
14 *Ariſtotel.lib.1. de Cœlo cap.10.*
15 *Ocellus Lucanus, de Univerſi natura.*
16 *Idem Ocellus, ibidem.*
17 *Franc.Patricius in Diſcuſſ.*
18 *Simplicius Comment. lib.8. Phyſic. Digreſſ. II. contra Joan. Grammaticum.*
19 *Alex.Aphrodiſ.in expoſit.hujus loci Ariſtotel.*
20 *Euſebius lib.15. de Præpar.Evangel. cap.5.*
21 *Id.Euſeb. eod.lib. cap.35.*
22 *D.Ambroſ. in Proëm. 1.lib. Exameron.*
23 *Hugo lib.2. de Hæreſib.quas Græci in Latinos devoluunt.*
24 *Cyrillus lib.2. contra Julianum.*
25 *Æneas Gazeus lib. de Animæ immortalitate, & corporum reſurrectione, quem* Theophraſtum *inſcripſit.*

26 *La-*

26 *Lactantius lib.7. cap.1.*
27 *Benedictus Pererius Jeſuita, Introductione ad lib.* 15. *de Commun.omnium rer.natural.principiis,& affectionib.*
28 *Ariſtoteles lib.1.Rhetoric. cap.2.*
29 *Ariſtot. lib.1.Analytic. prior.cap.1.*
30 *Cicero in Topic.*
31 *Simplicius, Prolegomen. Categoriar.*
32 *Plutarch. de Placit.Philoſ.lib.1. cap.10.*
33 *Plutarch. lib.1.de Placit. Philoſoph. cap.3.*
34 *Ariſtotel. lib.1. Metaphyſic. cap.4.*
35 *D.Bonaventura Tom.* 2. *Opuſculor. Sermone* 2. *de Decem præceptis..*
36 *D.Juſtinus in Paræneſi ad Gentes. Theodoretus, de Curandis Græcorum affectibus. Euſeb.de Præpar.Evang.*
37 *Ariſtob. apud Euſebium.*
38 *Theodoret. de Curand. Græcor. affectib.*
39 *Theodoret. Serm.5. de Natura hominis.*
40 *Origenes contra Celſum.*
41 *Atticus ap. Euſeb. lib.15. de præp.Evangel. cap.8.*
42 *Æneas Gazeus Dialogo de Animæ immortalitate,& corporum reſurrectione, quem vide in Tom.* 8. *Biblioth. veterum Patrum.*
43 *S.Maximus Epiſtola quadam ad Joannem Presbyterum.*
44 *Theodoret. loco quo ſup.*
45 *Nazianzenus Orat.33.*
46 *Elias Cretenſis in Comment.hujus loci D.Gregorii.*
47 *Nyſſenus Tractatu* de Anima.
48 *Idem Nyſſenus ibid.*
49 *Cicero* 1. *Tuſculanar.*
50 *Æneas Gazeus*, in Theofraſto.
51 *D.Juſtinus in Oratione Parænetica ad Gentes.*
52 *Nyſſenus lib.* de Anima.
53 *Chryſoſtom. Comment. in Epiſtola D. Pauli ad Epheſios,*

54 *Laer-*

54 *Laertius in Ariſt.Vita.*
55 *Plutarchus de Placit.Philoſophor. lib.2. cap.3.*
56 *Nemeſius in Titulo, Quarum rerum ſit Providentia, c.44.*
57 *Euſebius lib.15.de præparat. Evangel. cap.4. hac ex Attico affert.*
58 *S.Clemens Alexandri. lib.1. Stromatum.*
59 *Idem S.Clemens lib.5.Stromatum.*
60 *Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis.*
61 *Theodoretus Serm.5.de Natura hominis.*
62 *Idem Theodoretus in Epitome divinorum decretorum.*
63 *S.Epiphanius lib.3. adv.hæreſ.cap.ultimo.*
64 *Nazianzenus Orat.33. adver.Eunomium.*
65 *Euſebius lib.15. de præparat.Evangel.cap.33.*
66 *D.Ambroſ. lib.1.Offic.cap.13.*
67 *Ariſtoteles lib.10. Ethic.Nicomach. cap.9.*
68 *Cornelius a Lapide in Encomio Sapientiæ, ſive princip. Comment. in Eccleſiaſtic.*
69 *Euſebius lib.15. de Præp.Evangel.cap.2.*
70 *Tatianus in Oratione ad Gentes.*
71 *Theodoretus lib.12. de curandis Græcorum affectibus.*
72 *Idem Theodoretus lib.11. de Fine, & Judicio.*
73 *Franciſcus Petrarcha libro de Ignorantia ſui ipſius, & multorum aliorum.*
74 *Atticus apud Euſebium lib.15.de præp.Evang.cap.4.*
75 *Canus lib.9. de Locis Theolog.cap.9.*
76 *Vivis lib.6. de Cauſis corruptar.artium.*
77 *D.Bonaventura T.1.Opuſcul.lib.ſup.Geneſim, qui Luminaria Eccleſiæ inſcribitur, Serm.7.*
78 *Ariſtotel.lib.1.c.9.Ethic.Nicomach.editionis Aurelianę.*
79 *Ariſtot.lib.1.Ethic.Nicomach.cap.10. ejuſd.edit.*
80 *Gaza Præfat.in lib.Ariſtotel.de Animal.hiſtor. quos ipſe Gaza Latio donavit; & D.Baſilius Epiſtola 118.*
81 *D.Thomas lib.2. contra Gentes cap.70.*

28 *Ci-*

Digitized by Google

82 *Cicero lib.1. de natura Deorum.*
83 *Plutarch.lib.2.de placitis Philoſophor. cap.7.*
84 *Vivis lib. 1. de veritate fidei Chriſtianæ, titulo quod Mundus eſſe aliquando cœperit.*
85 *Toſtatus, Comment.in cap.2. Joſuæ, quæſt.49.*
86 *Molina in pr.p. D.Tho.quæſt.19. artic.4.*
87 *Atticus ap.Euſebium lib.15.de præparat.Evang.cap.15.*
88 *Lactantius lib.de Ira Dei.*
89 *Origenes lib.11. contra Celſum.*
90 *Athenagoras in Apolog. pro Chriſtianis.*
91 *D.Anſelmus, tractatu: Cur Deus homo?*
92 *S.Clemens Alexandrinus in Admonitione ad Gentes.*
93 *Ariſtoteles lib.4. Topicor. cap.5.*
94 *Ariſtoteles lib.de Mundo ad Alex.*
95 *Mirandulanus lib.6.Exam.doctr.vanit.Gentium cap.17.*
96 *Ariſtoteles lib.2. de Cœlo cap.3.*
97 *Ariſt.lib.7.Ethic.Nicomach. cap.15.*
98 *Ariſtoteles lib.7. Ethic.Nicomach. cap.1.*
99 *Vide numerum primum, & ſecundum hujus Paragraphi.*
100 *P.Thomas Campanella Prædicat. Ordin. de Gentiliſmo non retinendo.*
101 *D.Hieronym.Dialogo contra Luciferanos.*
102 *S.Ambroſius lib.de Fide.*
103 *S. Epiphanius adverſ. hæreſes lib. 2. contra Arioman itas, hæreſi 96.*
104 *Idem S.Epiphanius lib.3. adverſ.hæreſes, in Indiculo.*
105 *Idem S.Epiphanius eodem lib.3. Hæreſi 76.*
106 *Beda in Allegorica expoſitione Samuelis Prophetæ lib.4. cap.9.*
107 *S.Baſilius lib.1. adverſus Eunomium.*
108 *Fauſtinus contra Arrianos, cap.11.*
109 *Euſebius lib.5. Hiſt.Eccleſiaſt. cap.28.*
110 *Nyſſenus adverſus Eunomium, Oratione 11.*

111 *D.Ambroſ.in Pſalm.*118.

112 *D.Auguſt. cont.Julianum.lib.*2. *cap.*10.

113 *D.Cyrillus in Theſauro , Aſſertione* 11.

114 *S.Synodus Generalis Conſtantinopolitana,Actione* 11.*ſub ann.* 680. *Vide volum.VI. Concilior.*

115 *Volaterranus lib.*22.

116 *Idem Volaterra . ibid.*

117 *Vide volumen XI. Concilior.*

118 *Launoy , de var. Ariſtotel. fort. in Academ. Pariſ.cap.*4.

119 *Odoricus Rainaldus in Annalib. ann.* 1228.

120 *Vide apud Prateolum lib.*10.

121 *Prateolus , de Vitis , & Sectis hæreticor.lib.*11.

122 *Carteſius part.*3. *Epiſt. Epiſt.*97.

123 *S.Juſtinus in Admonitio. ad Gentes .*

124 *Nazianzen. adv.Julian. Orat.*3.

125 *Patricius Tom.*1. *diſcuſſ. lib.*1.

126 *Nonnus in expoſ.* 1. *Invect. D. Gregor. Naz. adv. Jul. num.*33.

127 *Jo: F. Picus Mirand.lib.*4. *exam.doctr.vanit.Gent.cap.*1.

128 *Vide in lib.de Pomo, qui Ariſtoteli aſcribitur .*

129 *Agrippa de Vanit.ſcientiar. cap.*54.

Sophocl. in Aiace . Pape, quam cito apud homines mortui Gratia diffluit , & deſerta eſt !

130 *Euripides in Polyide* Mentes hominum inſaniunt , Cũ sũtus inutiles pro mortuis expendũt.

131 *Plutarchus in Vita Alexandri .*

132 *Vide Athenæum lib.*8.*&* 12.*Suidam,& Eraſmum in verbo* Sardanapalus .

133 *Ariſtoteles lib.*3 *Ethicorum ad Nicomachum cap.*9.

FINIS.

VA1 1551112

Digitized by Google

Digitized by Google

1A8.
7.
3.

Digitized by Google